Vak 16

84

Vak 13
84

TRACTATUS COMPENDIARIUS

DE

SCRIPTURA SACRA,

INCIPIENTIBUS ADORNATUS

studio et operâ

Ant. van de Laar,

PROF. SEMIN., ET CANONIC. ECCL.
CATHEDR. BUSCODUCENS.

„ Haec a me breviter perstricta sunt,
„ ut intelligeres, te in Scripturis sanctis
„ sine praevio et monstrante semitam non
„ posse ingredi." *s. Hieronym. ad Paulinum.*

BIBLIOTECA
CONV. WIJCHENS
ORD. FRAT. MIN.



Gestel St. Michaëlis,

EX TYPOGRAPHIA DIOECESIS BUSCODUCENSIS
IN INSTITUTO SURDO-MUTORUM.

—

1885.

PRAEFATIO.

Sanctissimus Dominus Noster Leo XIII. Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios in regione Italica, in percelebri epistola [1]) etiam atque etiam commonefaciens de causis, propter quas Seminaria clericorum jure sibi vindicant plurimas et maximas animi, consilii, vigilantiae eorum partes, inter alia gravissima habet: „date operam, Venerabiles Fratres, quantum potestis, ut alumna sacrorum juventus . . sit . . etiam iis artibus apprime erudita, *quae cum sacrarum Litterarum vel interpretatione vel auctoritate cognationem habeant.*"

Votum hoc pro modulo meo me praevenisse reor, quum anno 1878 mihi sumpsi edere „*Introductionem generalem in S. S. ad usus Alumnorum Seminarii Buscoducens.*"

Tametsi in isto volumine haud pauca equidem jam nunc emendata exoptarem, tamen ad illud benevolum lectorem et auditorem remittere liceat pro penitiore rerum in praesenti opusculo dicendarum expositione, et praecipue probatione, atque plane quidem pro investigandis fontibus,

[1]) „*Etsi Nos*", XV. Febr. 1882.

sive, probatis auctoribus, quos duces et magistros secutus sum, et gratâ memoriâ in praecedenti opere laudavi.

Ad praesens autem opusculum ineundum vehementer me sapientissimorum et expertissimorum virorum hortatus impulere, qui, quum perspicerent, haud ita paucos sacrarum Litterarum novitios qui in spem Dioeceseos adolescunt, rerum discendarum copiâ, angustiis temporis, quod disciplinis Scripturisticis dari potest, aliisve causis impeditos, pleniori tractatui absolvendo impares esse, mihi auctores fuerunt, ut quae fusius de re biblica disserui, paucis contraherem ita, ut compendiaria haec institutio incipientibus quidem monstraret semitam ad ingrediendum in Scripturis sanctis, et simul jam magis provectis esset norma studii Scripturistici, tùm praelectionibus publicis, cùm propriis adhibitis conatibus perficiendi.

Lubenti animo obsecundans laudatorum venerabilium virorum votis, quae praecepti instar venerari me profiteor, pro virili parte in hoc opusculo servandam mihi proposui eam Synodi Provincialis Ultrajecten. [1]) legem, ex qua: „necessariis utilia cedent, et inter utilia ipsa, quae magis utilitate praestant, Professores seligent." Vereor tamen, ut ipsi satisfecerim. Cum sancto Augustino iterum confitear: „Longior evasit liber hic quam volebam, quamque putaveram." Praeterquam quod ita natura fert mea, rebus ipsis dicendis, quarum pleraeque oppido difficiles sunt, praesertim quae circa inspirationem Scripturae, et *canonicitatem* ac *authentiam* Vulgatae versantur, nec non temporum adjunctis longius oratione lapsus sum. Enimvero hac nostra aetate

[1]) Tit. IX. cap. II.

studiosis venerabilium Litterarum multo plura scitu necessaria aut magis utilia sunt quam vel paulo superioribus temporibus. Ut igitur, rebus quodammodo ad tempus, quod vivimus, accommodatis, alumni in ipso vestibulo sacrarum Scripturarum adversus errores, in singulos fere dies crescentes, praemuniantur maxime per rite expositam Ecclesiae catholicae doctrinam in sacrosanctis oecumenicis Conciliis Tridentino et Vaticano penitius declaratam; porro ut intelligere valeant deinceps sibi magis obvios Auctores, multa praeterire non potui, de quibus paulo ante nullus ferme nisi inter eruditos, hodie autem penes obvios quosque Scripturae Interpretes plerumque longus ac eruditus magis quam elementarius sermo est. Quare horum elementa breviter exponere studui, quippe quae penitus ignorare hodie clericum dedecet. Quo demum in viam memoratae legis redirem, post singulos §os *repetitionem* addidi, quâ utique ipse quidem liber auctus, sed, ni fallor, simul discipulis, quorum emolumentum imprimis spectamus, labor in studio ipsius hujus tractatûs multum diminutus est, utpote quâ continentur quae prae ceteris intellectu percipiant, ac memoriâ retineant.

Utcumque de his est, faxit Deus ut, quod unum optamus, hoc opusculum aliquid ad sacrarum Litterarum studium, et ad Ipsius gloriam promovenda conferat. Quem in finem illud qualecumque iterum atque iterum devoveo, atque dedico:

Sacratissimo, adorandoque cordi Jesu,
Dulci et immaculato cordi Mariae,
Sanctissimi cordis amico, sancto Josepho.

Haren, 10 Aug. 1885.

ORDO TRACTATUS.

Caput I. De Scripturae sacrae natura,
„ II. Inspiratione,
„ III. Canone,
„ IV. Textibus,
„ V. Auctoritate,
„ VI. Interpretatione.

CAPUT I.

De Scripturae sacrae natura.

1. Natura rei cujusvis ex ejusdem definitione, divisione et proprietatibus optime discitur. Commode igitur caput I. in tres §^{os} distinguitur.

§. 1.

Scripturae sacrae definitio, hujusque expositio.

2. Scriptura sacra, prout eam Ecclesia Romano-Catholica semper intellexit, atque re ipsa possidet, recte definitur: *Verbum Dei, Spiritu Sancto inspirante conscriptum ab auctoribus sacris, atque ut tale ipsi Ecclesiae traditum.*

Dicitur 1°. *Verbum Dei*; quâ notâ duo significantur, scilicet:

3. a). Quod Scriptura sacra est *sermo*, qui *Deum* vere et proprie habet auctorem principem; sive, quod Deus vere et proprie est causa efficiens principalis [1]) totius Scripturae sacrae.

4. b). *Genus proximum*, in quo Scriptura convenit cum *Traditione divina* (sub quâ etiam *divino-apostolica* comprehenditur), quatenus utraque, Scriptura sc. et memorata Traditio, est fons divinae revelationis, et fidei divinae regula *inanimata*, sive, ut alii vocant, *continens*, *remota*, ut haec distinguenda venit a regula fidei *animata*, *explicante*, *proxima*, qualis, quamvis tandem unica sit, Ecclesiae sc. auctoritas, triplex distingui solet, nempe: Ecclesia per orbem dispersa, Concilium generale, et Romanus Pontifex ex cathedra loquens, declarantes res fidei et morum, ad aedificationem doctrinae

[1]) *Auctor princeps*, seu, *causa efficiens principalis* generatim ea dicitur, quae agit sibi inhaerente virtute; sive, quae propriâ virtute effectum gignit, ad distinctionem a causâ *instrumentali*, quae, ut aiunt, agit ex motione, h. e., ex virtute derivata et transeunte causae principalis; sive, quae effectum gignit non tam propriâ, quam superiore vi quâdam, quae ipsam regit atque elevat. Cfr. Card. Franzelin, *Tract. de divina Script.* cap. I. Th. III., et auctor Philiae classicus, cl. P. Vallet, T. II. *Ontologiae* 3 pars, *De categoriis* cap. II. art. VIII. §. V.

christianae pertinentium [1]).

Dr. 2°. *Spiritu Sancto inspirante conscriptum.* His verbis pariter duo designantur:

5. a). Ratio *formalis* per et propter quam Deus vere et proprie est auctor princeps Scripturae, haecque integra vere est verbum Dei. Nimirùm per et propter *inspirationem*, quâ acti, seu, moti a *Spiritu Sancto*, i. e. hìc, a Deo uno in essentia, et trino in Personis [2]), conscriptores humani litteris mandarunt omnia omnino facta et dicta, quae in Scriptura continentur [3]), etiam ea quae vocari solent *aliena*, i. e., a sacris scriptoribus relata quidem, sed ab aliis, puta ab Angelis aut hominibus bonis vel malis, prolata aut praestita, qualia multa in Scripturis occurrunt etiam minus recta, imo impia quandoque et falsa. Profecto hujus generis facta et dicta *in sese*, sive, ratione *materiae* nequaquam divina, minime verbum Dei sunt, sicque Deum auctorem manifeste non habent, nec habere possunt. Attamen etiam haec omnia ad Scripturam sacram vere pertinent, proprie verbum Dei sunt, atque Deum habent auctorem principalem ratione *inspirationis* Spiritûs Sancti, vi cujus auctores sacri etiam ea animo conceperunt ad scribendum, et re ipsa scripserunt sicut et cetera quae Deus ab ipsis scribi voluit; verbo: eo sensu, et ideo quod etiam haec Spiritu Sancto inspirante conscripta sunt.

6. Praehabitis verbis: *Spiritu Sancto inspirante conscriptum*, designatur

[1]) Cfr. Dens, *De virtute Fidei*, n. 59., et *Introd. in S. Theol.* cap. IV., ad III. et IV.

[2]) Inspiratio enim est operatio, seu, actus Dei *ad extra*, quippe quo *hominis* intellectum illustrat etc., ac proin communis est toti SS. Trinitati, et solum per *appropriationem* specialiter, i. e., prae aliis divinis Personis, *Spiritui Sancto* tribuitur. Cfr. *Catech. dioeces.* Lect. VI. Q. 2-6.; Dens, *Tract. de SS. Trinit.* n. 58. 68.

[3]) Animadverte quod inspiratio tripliciter praedicatur: a). de *Deo*, significans actionem, quâ formaliter inspirat (inspiratio *activa*, II. *Petri* I. 21. secundum lectionem Vulgatae latinae editionis); b). de *hominibus*, qui inspirantur (inspiratio *passiva*, *ibid.* secundum textum Graecum: φερομενοι, acti, moti); et c). de *scriptis*, quae homines inspirati confecerunt (inspiratio *terminativa*, II. ad *Timoth.* III. 16.)

b). *Differentia ultima* Scripturae ét a Traditione divina, ét ab infallibilibus Ecclesiae definitionibus, ét ab omni verbo et scripto merè humano, ut ut ceteroquin vero, salubri, magnifico, et ceteris quibus ornari possit epithetis.

7. *Declaratur differentia ultima Scripturae a Traditione divina.* Haec enim sensu proprio, specifico, et communiter intellecto nisi contrarium indicetur, sc., prout est fons et modus transmissionis ac conservationis doctrinae revelatae a Scriptura diversus, — ut cum Theologiae auctore classico loquamur [1]) — „*Est verbum Dei non scriptum*", intellige, non scriptum *inspirante Spiritu Sancto.* Hoc namque *essentiale* discrimen inter Scripturam et Traditionem divinam penitius exponens laudatus anctor proxime addit: „sive, *est veritas divinitus Ecclesiae revelata, et a majoribus ad postremos transfusa sine scripto* AUCTORIS CANONICI", i. e. talis, qui ab Ecclesia ut auctor stricto sensu sacer, sive, *inspiratus* agnoscitur [2]).

8. *Differentia ultima Scripturae ab infallibilibus Ecclesiae definitionibus* perspicue probatur ex *essentiali* discrimine inter *inspirationem*, per et propter quam Deus est auctor universae Scripturae, et *assistentiam* Spiritus Sancti, sub quâ Ecclesia docens [3]) definitiones suas infallibiles edit.

Enimvero inspiratio ad scribendum est majoris comprehensionis, adeoque minoris extensionis, quam memorata assistentia divina.

Inspiratio est *majoris comprehensionis.* Etenim assistentia divina, qua quivis error in definitione excluditur, *essentialiter*

[1]) Dens, *De virtute Fidei*, n. 66.

[2]) Tres hae notae: auctor et liber *sacer*, *inspiratus*, *canonicus* sensu *stricto* utique notionibus propriis differunt. Namque proprie *sacri* audiunt, quatenus Deum habent auctorem principem; — *inspirati*, quatenus inspiratio est ratio *formalis* per et propter quam sacri sunt, seu Deum auctorem habent; — *canonici*, quatenus in se sacri et inspirati, ùt tales ipsi Ecclesiae traditi sunt et ab ea ùt tales ab omnibus suscipiendi infallibiliter proponuntur. Verùm sensu *lato* plerumque, ac merito ut synonyma accipiuntur a). quatenus non dantur, nec dari possunt *canonici* nisi in se sacri et inspirati; b). quatenus sacri et inspirati *infallibiliter* ut tales dignosci ab omnibus nequeunt, nisi infallibili et publica Ecclesiae auctoritate declarentur *canonici*; c). quatenus igitur qui *canonici* sunt eo ipso ét *sacri* ét *inspirati* agnoscendi sunt. Cfr n. 15. et cap. III. n. 88.

[3]) I. e., Romanus Pontifex, ét Episcopi collective sumpti, sive per orbem dispersi, sive in Concilio generali congregati, sed in utroque supposito uniti, consentientes et subordinati visibili Ecclesiae capiti, Christi vicario, successori B. Petri, Romano Pontifici. Dr. „Episcopi *collective* sumpti" h. e., prout omnes simul constituunt unum Episcopatum, „cujus a singulis in solidum pars tenetur", ut praeclare ait S. Cyprianus, *De unitate Ecclesiae.*

sufficit ad infallibilitatem Ecclesiae in suis definitionibus.

Verùm ad inspirationem scriptionis praeter munitionem ab errore *essentialiter* requiritur positiva supernaturalis operatio Dei in intellectum et voluntatem scriptoris, quâ fiat, ut Deus ipse per hominem inspiratum proprio sensu sit *auctor libri*, ac proinde liber non quomodocumque contineat verbum Dei sine errore, sed, quatenus est liber scriptus, sit *efficienter* a Deo auctore, et verbum Dei scriptum.

Inspiratio proinde est *minoris extensionis* quam praehabita assistentia.

Inspiratio namque ad scribendum est charisma (i. e. hìc gratia *gratis data*) adeo prorsus extraordinarium, et singulare, ut unice auctoribus sacris utriusque Testamenti divinitus concessum fuerit, ac cum ipsa consummatione revelationis catholicae in Apostolis et Evangelistis desierit. Assistentia autem Spiritus Sancti, ex Christi promissione, Ecclesiae docenti jugiter praesto est ad fidei depositum usque ad finem saeculorum integre custodiendum, et fideliter exponendum. Hoc igitur charisma Ecclesiae docenti omnino ordinarium est, eoque re ipsa Summus Pontifex et Episcopi semper gavisi sunt, et perpetuo fruuntur quoties divinitus sibi commisso magisterio, sive ordinario, h. e., indubitata universali professione, sive extraordinario, i. e., solemni judicio, e cathedra vel in Concilio generali prolato, veritates fidei morumque quâ late ad doctrinam christianam pertinent, definierunt, definientque quandocumque bonum Ecclesiae solemnem hujusmodi definitionem postulat.

Itaque discrimen *essentiale* inter inspirationem et assistentiam praefatam, sive, inter propriam rationem infallibilitatis Ecclesiae in suis definitionibus, et inter Scripturam inspiratam omnino positum est in diversitate *ipsius charismatis in subjecto*, atque manifesto assistentia quidem sub inspiratione includitur, sed non vice versâ.

9. *Differentia Scripturae ab omni verbo et scripto mere humano, a fortiori* ex statim praestitutis evidens est, ceterumque ex dicendis n. 13. evidentius patebit.

Dr. 3°. *conscriptum ab auctoribus sacris.*

10. Hâc particulâ denotantur Scripturarum causae efficientes *instrumentales*, sed rationales, verbo: homines intellectu et voluntate praediti, qui et suo ordine et suo modo ad productionem effectûs, de quo agitur, nempe ad Scripturam *terminative* (cfr. n. 5.) consideratam, concurrerunt, et quibus proinunus idemque effectus ille in suo ordine et suo modo totus attribuendus est.

Ipsa enim notio inspirationis supponit subjectum, quod illam suscipiens sub illa scribat quae Deus ei suggerit, et ab eo scribi vult. Sunt igitur homines inspirati comparate ad *Deum* auctores Scripturae *secundarii*, atque adeo sicut Scriptura sacra tota quanta *Deo* attribuenda est ùt causae *principali*, sic v. g. Pentateuchus [1]) etiam *Moysi* totus adscribendus est ùt causae *instrumentali*, ut auctori *secundario*, et sic de ceteris.

11. Porro iidem auctores secundarii comparate ad *amanuenses* [2]), quibus quandoque usi sunt [3]), rite vocantur Scripturarum causae *instrumentales principaliores* in facto. — Eos etiam cum comparatione ad amanuenses esse dumtaxat, sed et vere causas *instrumentales* ex eo patet, quod non virtute propria, sibi inhaerente, sed transeunte et derivata a Deo, his sensa Dei scribenda communicarunt (cfr. *not.* ad n. 3.). Merito eos vocari *principaliores* in facto ex eo liquet, quod amanuensibus suis saltem res, seu, sententias sibi a Deo ad scribendum inspiratas suggesserunt, eosque moverunt ut veritates has et non alias suo nomine scriptis mandarent; unde etiam fit, ut liber vel epistola dicto modo scripta non ipsis amanuensibus inscribatur, sed nomen repetat a mandantibus.

12. *Corollarium.* Itaque secundum praemissa, e. g., una eademque epistola ad *Romanos* jure diversis agentibus tribuitur, licet alio et alio modo.

a). *Tertio* quidem ùt scriptori [4]), sive, ùt causae *instrumentali* comparate ad B. Paulum *minus principali*, sive, ùt auctori *secundario* ET *subordinato* Apostolo Paulo.

b). B. *Paulo*, ut causae *instrumentali* comparate ad Tertium *principaliori* in facto.

c). Eidem *Apostolo* ut auctori comparate ad Deum *secundario*.

[1]) I. e., volumen quinque librorum. Nam πέντε, quinque, τεῦχος, vas quodcumque, hìc volumen significat. Per excellentiam sic libri Moysis vocantur.

[2]) *A manu* ita dicuntur illi, quorum manu, seu, operâ in scribendo utimur. Graece appellatur ὑπογραφεύς, qui scribit sub dictamine alterius. cfr. Calepinus.

[3]) Puta *Jeremias*, cujus scriba fuit *Baruch*. Lege *Jerem.* cap. XXXVII. 1.-4.; XLV. 1. — B. *Paulus*, qui in conscribenda epistola ad *Rom.* usus est *Tertio*, cap. XVI. ỳ. 22.

[4]) „Saluto vos ego Tertius, *qui scripsi epistolam*, in Domino."

d). Denique simpliciter et proprie ipsi *Deo* ut auctori *principali*, secundum regulam Juris in Sexto: *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum.* Etenim, uti dilucide R. P. Fr. Anacletus Reiffenstuel scribit: „Ratio Regulae est, quia ille qui mandat, delegat, substituit etc. ut quid per alium fiat, est *principalis causa* et origo facti secuti; consequenter factum tale eidem merito ita imputatur, ac si ipse fecisset."

13. *Sacri* autem, et graeco nomine Ἁγιογράφοι, *sancti scriptores* vocantur auctores Scripturae secundarii non eo sensu ac si omnes Sanctis adnumerandi sint [1]), sed ratione *argumenti* de quo, et praecipue ratione *principii* sub quo scripserunt, sc. sub inspiratione Spiritus Sancti. Hoc nomine igitur distinguuntur non solum ab auctoribus prorsus profanis, sed et à ss. Patribus et Scriptoribus ecclesiasticis, qui tametsi sacra, h. e., Revelationem supernaturalem et Religionem Christianam spectantia conscripserint, imo nonnulli, utputa s. Gregorius M., s. Ignatius de Loyola vel *assistente* Spiritu Sancto quaedam litteris mandasse ferantur, tamen certo ne haec ipsa quidem *inspirante* Spiritu Sancto scripserunt, atque adeo non sunt *proprie* dicti auctores *sacri.*

Dr. 4°. *atque ut tale ipsi Ecclesiae traditum.*

14. *Generatim* hâc notâ significatur veritas illa adversus Protestantes et incredulos quosvis plane capitalis, quae idcirco quam evidentissime alibi demonstratur [2]), ideoque jure *h. l.* simpliciter assumitur, videlicet: Quod Christus Dominus ad necessariam fidei unitatem in catholicitate conservandam instituit unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam, ut divinae revelationis, quae in libris scriptis et sine scripto Traditionibus divinis continetur, perpetuum custodem ac magistram, proindeque et interpretem ac judicem, ex jugi assistentiâ Spiritus Sancti infallibilem.

15. *Speciatim*, quod igitur unius verae Christi Ecclesiae

[1]) Ita, v. g., salus aeterna Salomonis, qui certo auctor sacer fuit *libri Proverb.*, *Eccl*tis et *Cantici Canticorum*, nobis dubia est. Cfr. ad cap. XI. lib. III. *Reg.*

[2]) Puta in classico *Tract. de Ecclesia*, et in *Tract. de divina Tradit.* Emi Franzelin, Th. V. et ss.

propositio, praedicatio, traditio (sensu *latiori* hìc accepta quam n. 7., ùt medium propagandi *universum* fidei depositum; ceterùm praefata tria diversa vocabula tandem prorsus idem denotant), verbo: quod Catholicae et Apostolicae Romanae Ecclesiae auctoritas est regula fidei proxima, ex quâ *solâ* homines *omnes*, imo — secundum providentiam Dei ordinariam, sive, secundum ordinem universim a Christo stabiliter praefixum — etiam *singuli*, *in quavis conditione*, putâ obortis etiam dubiis gravissimis et vel humanitus inenodabilibus, *infallibiliter* certi, prout oportet ad actum fidei divinae rationabiliter praestandum, cognoscere et dignoscere possunt omnes et singulos libros integros cum omnibus suis partibus, qui revera *verbum Dei*, seu, *canonici* sunt, quinam autem non ut tales recipiendi sint.

16. *Scholion* 1um. In hunc hujus notae sensum omnino genuinum jam S. Augustinus de Evangelio qua late patet, adeoque de omnibus Scripturae libris et partibus, ut talibus ipsi Ecclesiae traditis, egregrie dixit, et quivis cum eo dicere potest: „*Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae Catholicae commoveret auctoritas.*"

17. *Scholion* 2um. Genuinum praehabitae notae sensum consideranti patet, quod Ecclesiae praedicatio, hos determinatos libros ipsi traditos esse ut *verbum Dei*, seu, ut Spiritu Sancto inspirante conscriptos, atque propterea ab omnibus ùt sacros et canonicos esse suscipiendos, illis mere tribuit auctoritatem externam sive, *quoad nos*; neutiquam vero internam, quippe quâ ut vere *verbum Dei*, falli et fallere nescii, *ex se ipsis*, sive, *per se* pollent. Ad diluendas hac in re cavillationes Protestantium apposite Card. Ludovicus Gotti, O. P., „Verbum quidem Dei, inquit, non eget verbo Ecclesiae, ut sit verbum Dei; egemus tamen *nos* testimonio et verbo Ecclesiae, ut certi simus, illud, quod nobis tamquam verbum Dei proponitur, esse revera verbum Dei, et non hominis. Neque hoc est, ut aiunt acatholici, verbum Dei a verbo hominis recipere approbationem, sed potius testimonio Ecclesiae, in hisce non ex se, sed ex verbo Dei infallibilis, cognitionem nostram et fidem confirmari, quod hoc sit verbum Dei, atque genuinus ejusdem sensus; quia, quum Christus Ecclesiae promiserit assistentiam Spiritus Sancti, qui doceat eam ducatque in omnem veritatem, haec (Ecclesia), stante Dei promissione quae semper

obtinet, numquam deficit, numquam docet aliquid esse revelatum, quod non sit revelatum."

18. *Scholion* 3um. Itaque Ecclesiae Romano-Catholicae propositio, hos determinatos libros cum omnibus eorum partibus ad s. Scripturam pertinere, esse pro sacris et canonicis suscipiendos, nobis simplex est *motivum credibilitatis*; *motivum* autem *formale*, propter quod credimus omnibus veritatibus a Deo in Scriptura revelatis, est ipsa Dei in Scripturis revelantis auctoritas; h. e., credimus omnes et singulas istas veritates „propter auctoritatem Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest" [1]).

Repetitio §. 1.

Scripturae sacrae definitio, hujusque expositio.

19. Scriptura est: *Verbum Dei* 1), *Spiritu Sancto* 2) *inspirante* 3) *conscriptum* 4) *ab auctoribus* 5) *sacris* 6), *atque ut tale ipsi Ecclesiae traditum* 7).

1). *Dei* est genitivus causae efficientis principalis, seu, auctoris principis.

2). Spiritui Sancto per appropriationem tribuitur inspiratio, actus *ad extra* communis SS^mae^ Trinitati.

3). Inspiratio formalis ratio est, per et propter quam *tota* Scriptura est verbum Dei.

3) et 4). *Differentia ultima* a Traditione divina; — et ab infallibilibus Ecclesiae definitionibus. Inspiratio quippe est actio Dei *positiva* in intellectum et voluntatem hominis inspirati... Nota *essentialis* ad infallibilitatem definitionum Ecclesiae est assistentia *negativa*, praemunitio ab errore. Inspiratio donum prorsus extraordinarium; assistentia Ecclesiae docenti est charisma ordinarium.

5). I. e., Homines inspirati comparate ad Deum auctores secundarii.

6). *Sacri* audiunt ratione argumenti de quo, sed praecipue

[1]) Cfr. *Conc. Vatican.* sess. III., cap. III. *De Fide*, et cl. Camillus Mazella, S. J., *De virtutib. infusis*, n. 339.-342.

ratione principii sub quo scripserunt, sc. sub inspiratione Spiritus Sancti.

7). Haec nota additur hoc sensu, quod Ecclesiae auctoritas est *medium* ordinarium, authenticum, publicum, omnibus aptum cognoscendi integrum verbum Dei scriptum; — et *motivum credibilitatis.*

§. 2.

Divisio Scripturae.

Libri Scripturae tripliciter dividi solent.

20. *Primo*, in libros *veteris*, et *novi* Testamenti, prout *ante*, vel *post* Christum natum scripti sunt.

21. *Secundo*, in libros *proto-* et *deutero-canonicos*. In hanc condivisionem jam *h. l.* animadvertere juvat, quod *vi nominis* non est omnino propria; sic enim denotaret libros *primo* et *secundo* ordine *temporis*, vel *dignitatis*, seu, *auctoritatis* ab Ecclesia receptos. Atqui hic sensus et historice, et, certo post Concilium Tridentinum, dogmatice falsus foret; exinde enim procul dubio habendi sunt paris omnino auctoritatis divinae; et etiam historice constat, utrosque inde ab initio in usu et praxi Ecclesiae pari pietatis sensu fuisse receptos, atque ante saeculum III. vel IV. nullam extare certam memoriam alicujus controversiae inter Catholicos agitatae de libris, quos nunc dicimus *deutero*-canonicos. — Sensu igitur improprio communiter *proto*-canonici vocantur ii *libri*, *de quorum divinitate inter Christifideles* NUMQUAM *dubitatum fuit;* — *deutero*-canonici autem ii, *de quorum divinitate* inde a saeculo III. vel IV. a nonnullis *catholicis theoretice aliquamdiu dubitatum fuit.*

22. *Tertio.* Attentis librorum *argumento* et *scopo principaliori*, in quatuor classes dispertiuntur:

a). In *legales*, quales reputantur quinque libri Moysis, i. e., Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, et

quatuor Evangelia secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Joannem.

b). In *historicos*, quales ex V. T. reputantur liber Josue, Judicum, Ruth, quatuor libri Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus, et secundus qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, et duo Machabaeorum, primus et secundus; ex N. T. actus Apostolorum a Luca evangelista conscripti.

c). In *sapientiales*, quos alii vocare malunt *doctrinales*, alii *morales*, et ad quos ex V. T. referuntur Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolae (seu, liber Proverbiorum), Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus; et ex N. T. quatuordecim epistolae Pauli apostoli, ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; et septem catholicae, sc. Petri apostoli duae, Joannis apostoli tres, Jacobi apostoli una, Judae apostoli una.

d). In *propheticos*, quales habentur ex V. T. libri prophetarum quatuor majorum, qui sunt Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel et Daniel; duodecim prophetarum minorum, qui sunt Osea, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, et ex N. T. apocalypsis Joannis apostoli.

23. *Scholion.* Esto postrema divisio non omnium eruditorum consensu cuique libro suum, qui deceat, locum praefiniat; certe tamen id utilitatis habet ut ab initio Tractatûs non omnino incogniti habeantur libri, quos ipsa generalis Synodus Tridentina integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata latina editione habentur, sub anathematis poenâ pro sacris et canonicis suscipiendos decrevit. Ex 72 libris recensitis quadraginta quinque ad V., viginti septem ad N. T. pertinent. Ordo, quo in laudato decreto Tridentino, atque in Vulgata latina editione conjunguntur, non perpetuo chronologicus est.

Repetitio §. 2.

24. Dividuntur Scripturae libri

1°. Ratione temporis in libros V., et N. T.

2°. In proto- et deutero-canonicos, prout de eorum divinitate numquam; — vel inde a saec. III. et IV. a nonnullis catholicis aliquamdiu dubitatum fuit.

3°. Ratione argumenti et scopi principalis in a). legales, b). historicos, c). sapientiales et d). propheticos.

§. 3.

Proprietates Scripturae.

25. Proprietates, quae naturam Scripturae penitius illustrant, quatuor censeri solent: *dignitas*, *profunditas*, *jucunditas* et *utilitas*.

26. *Scholion.* Scripturarum in locis pluribus, etiam ad res fidei et morum pertinentibus, quae proinde per se creditu necessariae sunt ad salutem, internam et absolutam profunditatem, sive, obscuritatem Novatores saeculi XVI., systematis sui causâ, inficiati sunt. Rejectâ namque, ùt regulâ fidei proximâ, Ecclesiae docentis auctoritate infallibili; rejectâ insuper Traditione divinâ ùt partiariâ regulâ fidei remotâ, Scripturam *unicam* fidei regulam proclamarunt, statuentes totum et omne *verbum Dei* Scripturis consignatum esse. Inde est, quod Scripturae internam et absolutam perspicuitatem, initio quidem in omnibus rebus etiam minoris momenti; progressu temporis saltem in omnibus rebus ad fidem et mores pertinentibus praedicarunt, atque obligationem pro unoquoque homine legendi Scripturam, ut quisque sibi statuat quid sit credendum. Paradoxa haec retulisse pro instituto nostro suffecerit. Adaequata enim horum confutatio, iisque oppositae doctrinae catholicae explanatio atque tuitio copiosiorem postulat disceptationem quam praesens patitur tractatus. Eo autem securius his supersedere licet, quod memorati errores pene obsoleti sunt, ceteraeque proprietates satis superque demonstrant quam longe Scriptura aliis quibuscumque libris praestet; quam suavia juxta et fortia ad religiosissimum sui studium invitamenta complectatur, quantumque praesens tractatus momentum habeat et emolumentum.

27. *Dignitas* Scripturae potissimum refulget ex ipso illius auctore principe. Scite s. Gregorius M. ait: „*Quid est autem Scriptura sacra, nisi quaedam epistola* OMNIPOTENTIS DEI *ad creaturam suam?*"

28. *Corollarium practicum.* Oportet igitur ut Scripturam semper cum reverentiâ Deo loquenti debitâ legamus, eamque accipiamus *non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei.* Exemplo sit recentissimus Ecclesiae Doctor, s. Franciscus Salesius, Seminarii nostri Patronus, de quo scriptum est: „Il ne lisoit jamais l'Écriture sainte qu'à genoux, et avec un respect aussi profond que si *Dieu* lui eût parlé sans voile et à découvert."

29. *Jucunditatem* ex Scripturae sedula lectione et meditatione percipere possumus suavissimam, praesertim a). ratione *veritatis*, quam continet purissimam, pretiosissimam, et delectabilissimam. Rem expertus s. Hieromymus, scribens ad *Paulinum*, quaerit: „Oro te frater charissime, inter haec (Scripturae volumina quae recensuit) vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quaerere: Nonne tibi videtur jam hìc in terris regni coelestis habitaculum?"

b). Ratione *formae litterariae*, quae merito in Scriptura celebratur tam propter antiquitatem, ac varietatem mirabilem, quam ob veri nominis eloquentiae magnificentiam; eam dico, quae, spectatâ ipsius germanae eloquentiae naturâ, ut talis a competentibus judicibus, viris sapientissimis agnoscitur. Lege, v. g., s. Augustinum *De doct. Christ.* lib. IV. cap. VI., VII. Vel simplex haec animadversio satis excludit fastum *juniorum* [1]) *Humanistarum* qui, i. a., sermonis simplicitatem, quâ plerumque Scriptura utitur, dedignabantur haud secus ac si ab elegantia sermonis ipsa veritas, et vera eloquentia dependeat. Quod Scripturæ eloquentia *plerumque vulgaris* (nam haud ita paucis in locis vere Attica et prorsus Ciceroniana est) stomachum moverit viris istis, qui plerique omnes magis litteris Paganorum quam Evangelii principiis imbuti erant,

[1]) Bene eos ita compellat cl. Johannes Janssen „*Geschichte des Deutschen Volkes seit dem Ausgang des Mittelalters*, T. I. Lib. I. p. 57. 58.

nihil mirum habet. Profecto istud illorum fastidium depravati quidem eorumdem gustûs argumentum est, minime vero Scripturam vitii arguit. „Nolo — ita s. Hieronymus statim laudatis verbis proxime addit — „Nolo offendaris in Scripturis sanctis simplicitate, et quasi vilitate verborum, quae vel vitio interpretum, vel de industria sic prolata sunt, ut rusticam concionem facilius instruerent, et in una eademque sententia aliter doctus, aliter audiret indoctus."

30. Scriptura speciatim ministris Dei *utilis* est, utpote quae iis adjumentum praebet quam efficacissimum, ut attendant ét sibi, ét doctrinae tum necessariae cum peroptatae ad sacrum ministerium rite obeundum.

31. Nullo negotio singula assertionis pars probatur.

Pars 1ª ex solemnibus hisce b. Pauli verbis (II. ad Timoth. III. 16. 17.): *Omnis Scriptura divinitus inspirata* UTILIS *est ad docendum* „sc., interprete s. Thoma, veritatem, *ad arguendum* eos qui contradicunt doctrinae sanae, verbo: falsitatem, *ad corripiendum*, quod est eripere a malo, *ad erudiendum in justitia*, quod est inducere ad bonum", *ut perfectus sit* HOMO DEI, *ad omne opus bonum instructus*, paratus, idoneusque ad omnes suas partes. Atqui, eodem Apostolo doctore, partes ministri Dei universim duae sunt. *Prima*, eaque praecipua, ut ipse recte vivat. Timotheo enim (epist. I. cap. IV. 16.), et in hujus persona omnibus et singulis Dei ministris imprimis injungit: *Attende tibi.* — *Altera*, ut alios recte instituat. Quare subdit: „Attende tibi, *et doctrinae*": conjunctim *insta in illis* duobus officiis tuis, ut plene vocationi tuae respondeas, atque hac lege optatissimum, maximumque percipias fructum: *Hoc enim faciens, et te ipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt.* Ergo Scriptura speciatim Dei ministris utilis est. Quod etiam assertionis partes ceterae confirmant.

32. Uti enim 2ª pars habet, Scriptura ministris Dei adjumentum affert, *ut imprimis attendant sibimetipsis.* Sacrae litterae „*te* — ita b. Paulus Timotheum affatur II. *epist.* cap. III. 15. — *possunt instruere ad salutem, per fidem, quae est in Christo Jesu.*" „Et hae, inquit s. Augustinus [1]), de illa civitate unde peregrinamur, litterae nobis venerunt: ipsae sunt Scripturae, *quae nos hortantur ut bene vivamus.*" Sane valent plurimum ad omnis generis vitia curanda, et ad om-

[1]) In *Ps.* XC., concio 2a.

nem virtutem sacerdotalem acquirendam, conservandam ac augendam, nominatimque castam animi puritatem, quae Ordinis sacerdotalis decus praecipuum est et ornamentum. „*Ama*, inquit s. Hieronymus, *scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis*".

33. *Animadversio practica* Ill^mi H. Fr. Bracq, Episcopi Gandavens. [1]) „Occurrunt tamen in illis (Scripturis) nonnulla quae nostris moribus et aevo corruptissimo mira videntur; etenim quo magis profligantur mores, eò honestiora quaeruntur vocabula ad spurcitias tegendas. Hinc in similibus prima idea angelicae virtuti adversa, rejiciatur, et oculi leventur in montes, unde veniet auxilium nobis. Non tamen omittenda est sacrae Scripturae lectio ob ingruentes tentationes, quia illae auxilio Dei superantur, quemadmodum nec meditatio passionis dominicae omitti potest, docente s. Francisco Salesio, ob imaginationes minus castas." Atque haec Praesul ille expertissimus. Omne porro voluntarium hac in re periculum plene subterfugient qui religiose auscultant monito sapientissimo, quod *Statuta Seminarii* tradunt n. 54. „quod ad partes legendas attinet."

34. Pars 3^ia assertionis, sc. quod Scriptura speciatim Dei ministris utilis est, ut attendant *et doctrinae*, sive, ut sibi comparent scientias vel necessarias vel peroptatas ad sacrum suum ministerium rite obeundum, quales *Statuta* n. 55.-60. jure meritoque recensent *Theologiam dogmaticam et moralem*, *Jus canonicum*, *Historiam ecclesiasticam*, *Eloquentiam sacram*, et *Liturgiam*, particulatim sic ostenditur.

35. Scriptura praecipua ac firmissima basis, principium, fons, parens, semensque est *totius scientiae theologicae*; quippe quae, ut docet s. Thomas, „auctoritatibus canonicae Scripturae utitur proprie, et ex necessitate argumentandi."

36. Quod ad *Jus canonicum* et *Liturgicum* attinet, dudum Pont. Max. Innocentius III. animadvertit, ex auctoritatibus veteris et novi Testamenti canonicas sanctiones processisse. Sane vix quidquam eorum, quae ad Jus ecclesiasticum, sive publicum sive privatum, pertinent, tractari potest, quin ea omnia ex s. Scripturis luculenter depromi, confirmari, aut illustrari queant et debeant.

37. *Historiae ecclesiasticae* Scriptura, etiam mere humanitus, ùt alii libri vere historici, considerata non modo pars est insignis, sed et praecipua basis, adeo quidem ut illa sine hac rite percipi nequeat. Prae ceteris namque historiis historia *ecclesiastica* jure dicitur vitae et regni Christi in terris continuatio. Inde solemne illud majorum nostrorum: „Christus vin-

[1]) *Prolegomena in S. S.* cap. I.

cit, Christus regnat, Christus imperat." Et re quidem vera Scripturae Dominum N. J. C. ubique loquuntur, sive, ut jam Tertullianus de antiquis oraculis poëtice cecinit [1]: „*Omnia de Christo, per Christum cuncta loquuntur.*" Certe igitur historia ecclesiastica plane intelligi nequit, nisi in ejus decursu semper alte menti fixum sit istud principium: Christum esse cardinem, centrum et finem factorum mirabilium quae Historia complectitur. Ipse, ut s. Joannes ait in *Apocalypsi*, est *Sanctus et verus, qui habet clavem David: qui aperit, et nemo claudit; claudit et nemo aperit.* Ipse, ut Isaias dicit, *legifer noster, Dominus rex noster: ipse salvabit nos.* Et s. Paulus: *Deus omnia subjecit sub pedibus ejus: et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius, et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.* Et iterum: *Jesus Christus heri et hodie: ipse et in saecula.* Demum s. Petrus: *Et non est in alio aliquo salus.* (*Act.* IV. 12.)

38. Postremo Scriptura est *Eloquentiae sacrae* exemplum absolutum, (cfr. n. 29 sub b), et aurifodina inexhausta, ejusque verba in dicendo vim et efficientiam habent prorsus singularem. *Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum.* Quare, judice expertissimo s. Augustino, omnis pene eloquentia ministri sacri ex scientia pendet Scripturarum. „Sapienter autem dicit homo *tanto magis vel minus, quanto in Scripturis sanctis magis minusve profecit.*" „Huic ergo, subdit, qui sapienter debet dicere, etiam quod non potest eloquenter, verba Scripturarum tenere maxime necessarium est. Quanto enim se pauperiorem cernit in suis, tanto eum oportet in istis esse ditiorem; ut quod dixerit suis verbis, probet ex illis; et qui propriis verbis minor erat, magnorum testimonio quodammodo crescat. Probando enim delectat, qui minus potest delectare dicendo."

39. *Scholion.* Itaque jure optimo *Statuta Seminarii l. c.* alumnos monent, ut „*Scripturae sacrae* studium prae ceteris omnibus diligant; adeo enim ejus notitia sacerdoti convenit, ut Biblia sacra liber sacerdotalis a s. Ambrosio [2]) nuncupentur."

[1]) Lib. III. *Carmen contra Marcum*, cap. II.

[2]) Cfr. *De fide*, lib. III. cap. VII.

Repetitio §. 3.

40. Scripturae *proprietates* quatuor.

I. Catholici tuentur Scripturae in locis pluribus dogmaticis internam et absolutam *profunditatem*, seu, obscuritatem, quae necessitatem magisterii et judicii Ecclesiae infallibilis commendat. En ratio, ob quam Protestantes hanc veritatem rejiciunt, et fons paradoxorum, quae consequenter olim statuerunt.

II. *Dignitas* praecipue commendatur ex auctore principe Scripturae. Hinc reverentia ei debetur religiosa.

III. *Jucunditas* ratione 1°. *veritatis* purae, saluberrimae; 2°. *formae litterariae* propter a). antiquitatem et varietatem, b). eloquentiam in multis locis Ciceronianam, in omnibus vere popularem, naturalem (quae dici potest: Dictio apta ad finem, sive, ad persuadendum, qui est finis omnis eloquentiae).

IV. *Utilitas* maxima ministris sacris, ut attendant sibi, *et* doctrinae. *„Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum.....“* nominatim ut sibi comparent alias scientias sacras, atque sapienter dicant. Etenim „sapienter dicit homo tanto magis vel minus, quanto in Scripturis sanctis magis minusve profecit.“ (s. August.)

CAPUT II.

De Scripturae inspiratione.

41. Genuina inspirationis notio conficienda est ex doctrinâ, et sensis Ecclesiae. Quae his quacumque ex parte adversantur, utique eo ipso ut totidem errores notanda sunt; quae autem ex illis non patent, liberae disputationi scholae, ut vocant, relicta sunto. His pensatis, caput II. apte dispertiri potest in tres §^{os}, quorum 1us. exhibet doctrinam; 2us. sensa Ecclesiae de inspiratione, hisque oppositos errores; 3^{ius}. quaestiones scholae.

§. 1.

De Scripturae inspiratione doctrina Ecclesiae, huicque oppositi errores.

42. Doctrinam Ecclesiae de inspiratione Scripturarum Concilium Vaticanum prae ceteris enucleatius exposuit, definiens:

1°. „*Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit* [1]), *pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit*" [2]).

2°. „*Eos vero (veteris et novi Testamenti libros integros cum omnibus suis partibus, prout in ejusdem* [Tridentini] *Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur), Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati, nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt*" [3]).

43. Uti consideranti patet, recitata Concilii Vaticani declaratio insequentes tres fidei veritates, *formaliter* omnes, primam autem et tertiam *explicite*, secundam *implicite* docet.

44. *Prima* veritas est *factum* proprie dictae inspirationis (saltem rerum, seu, sententiarum, seu, veritatum [4]) totius Scripturae originalis. Relegenti laudatum Canonem res dubia esse nequit.

[1]) Sess. IV. *Decr. de can. Script.*
[2]) Sess. III. *Canones* II. *De Revelat.* 4.
[3]) *Ibid.* cap. II.
[4]) Tribus his diversis nominibus Interpretes compellant *sensa Dei* in Scripturis expressa, ad distinctionem *signorum*, quibus sensa Dei exprimuntur et disponuntur. Qui autem sensa Dei in Scripturis expressa, *veritates* appellant, profecto non sibi volunt, omnia effata in Scripturis relata esse *in se vera*, cfr. n. 5.; sed omnia et singula quae Scriptura refert, sub ea saltem ratione reflexa, sub qua, et eo sensu quo ex intentione Dei, Ipso inspirante scripta sunt, etiam verissima esse; quum enim in Scripturis sacris scripta sint ideae et judicia, sive, res et sententiae, quae a Deo sunt per inspirationem, non possunt esse nisi *veritates*, saltem sub dicto modo et sensu. Ceterum cfr. §. 3. n. 72. et seq., et cap. V. a n. 261.

45. *Secunda* est factum saltem simplicis *conformitatis* [1]) veteris vulgatae latinae editionis cum inspirata Scriptura originali. Etenim capitis II. decretum dogmaticum sonat: „Eos vero veteris et novi Testamenti libros integros cum omnibus suis partibus, *prout* in Tridentini Concilii decreto recensentur, et *in veteri vulgata latina editione habentur*, Ecclesia pro sacris et canonicis habet."

46. *Tertia* edisserit sensum quo, et rationem per et propter quam recensiti libri cum omnibus suis partibus pro sacris et canonicis habendi sunt; nimirum, eo sensu, et ideo quod scripti sunt sub inspiratione istiusmodi quâ Deum verè habent auctorem principem. „*Propterea* — ut ipsa verba Patrum Concilii Vaticani repetam — *quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem.*"

47. Laudatis Concilii Vaticani canone et decreto *positive* damnantur errores circa inspirationem quam plurimi.

Et quidem speciatim ex memorato *canone* haereticâ labe infecti apparent errores eorum omnium, qui

a). Universim *ipsum factum* proprie dictae inspirationis rerum et sententiarum negant, quales, praeter *Socinianos*, et *Arminianos* illos, qui pedetentim in *Indifferentismum* religiosum abierunt, inter *Protestantes* multi fuerunt inde ferme a medio sæculo XVIII., atque hodie sunt longe plurimi, vulgo *Moderni* dicti, omnesque *Rationalistae biblici.*

b). Qui librorum inspiratorum numerum, vel partes praeter fas restringunt, adeoque qui vel aliquem librum integrum, vel aliquam partem eorum librorum, quos s. Tridentina Synodus recensuit, divinitus inspirata esse negarunt, quales, praeter *Judaeos*, et vetustos ac veluti obliteratos haereticos, puta *Gnosticos*, *Marcionitas* et *Manichaeos*, sunt *Protestantes* sic dicti *Orthodoxi*, qui vel utriusque, vel saltem veteris Testamenti libros quos dicimus *deutero*-canonicos (illi autem *apocryphos* nominant), inficiantur esse proprie inspiratos; pro rata

[1]) Cfr. cap. IV. n. 212.

parte item illi, sive heterodoxi [1]), sive catholici [2]), qui inspirationem restrinxerunt ad partes librorum *per se*, aut *stricto* sensu *revelatas*, aut ad res, ut vocant, *religiosas* per distinctionem a *profanis*, quae eorum sensu in Scripturis referantur.

48. *Scholion* 1um. Quaedam vocantur in Scripturis revelata *per se*, quaedam *per accidens*; sive, ut Scholastici loquuntur, in Scripturis quaedam ut *principaliter intenta*, *secundum*, seu, *propter se* revelata sunt, aliqua vero *solùm in ordine ad alia*. Audiatur omnium Scholasticorum princeps s. Thomas [3]). „Aliqua, inquit, sunt credibilia, de quibus est fides *secundum se*; aliqua verò sunt credibilia, de quibus non est fides secundum se, sed *solùm in ordine ad alia*: sicut etiam in scientiis quaedam proponuntur ut per se intenta, et quaedam ad manifestationem aliorum... Quaedam proponuntur in sacra Scriptura *ut credenda*, *non quasi principaliter intenta*, sed ad praedictorum [4]) manifestationem: sicut quod Abraham habuit duos filios, quod ad tactum ossium Elisaei suscitatus est mortuus, et alia hujusmodi, quae narrantur in sacra Scriptura in ordine ad manifestationem divinae majestatis, vel incarnationis Christi."

Secundum hanc Scholasticorum distinctionem, illi Scripturae textus, qui continent veritates principaliter intentas, secundum, sive, propter se revelatas, rite denominantur *per se dogmatici*. Ii vero qui referunt veritates solùm in ordine ad alia revelatas, quales sunt veritates cujuscumque generis naturales, utputà chronologicae, astronomicae, adjuncta historica, et quae hujusmodi sunt alia, rite dicuntur textus *per accidens dogmatici*.

Profecto graviter errarunt qui hanc distinctionem in eum perverterunt sensum ac si solùm illa, quae secundum, seu, propter se in Scripturis narrantur vere *inspirata*, et propter auctoritatem Dei revelantis *credenda* essent. Quandoquidem et ea quae solùm in ordine ad alia in Scripturis proponuntur, dummodo de eorum genuinitate constet, sive, dummodo ea revera in Scriptura *originali* habeantur, non minus aut secus quam principaliter intenta, proprie inspirata fuerunt, et propter auctoritatem Dei credenda sunt. „Eorum enim *omnium* quae in sacra Scriptura continentur est fides habenda." Et

[1]) Puta Hugo Grotius, Benedict. Spinosa, Fr. Pierre Guillaume Guizot, de Pressensé, alii.

[2]) Potissimum hìc memorandi Henric. Holden, P. Ph. Ner. Chrismann, Dr. Aug. Rohling, Illm. Haneberg, et Fr. Lenormant in opere: *Les origines de l'histoire d'après la Bible*... (*Paris* 1880).

[3]) *Summa Theol.* 2a. 2ae. Q. I. art. VI. ad 1um.

[4]) Nempe eorum „quae directe nos ordinant ad vitam aeternam: sicut sunt tres Personae omnipotentis Dei, mysterium incarnationis Christi, et alia hujusmodi."

„formalis ratio objecti credibilis est *una et indivisibilis*, scilicet, veritas prima: et sic secundum rationem formalem credibilia distingui non possunt", uti vere, ex persona objicientis, Doctor Angelicus *l. c.* dicit. Idcirco textus, tam eos qui *per accidens* quam qui *per se* revelata exprimunt, *dogmaticos* appellamus, utpote qui utrique aequaliter propter auctoritatem Dei revelantis sunt credendi.

Porro praehabita, sic sensu genuino declarata distinctio in locos *per se* et *per accidens dogmaticos* maxime facit ad sanam intelligentiam eorum quae mox n. 53., et deinceps cap. III. et IV., statuenda erunt de *extensione* decreti Tridentini *de canonicis Scripturis*, et de *authentia conformitatis* vulgatae latinae editionis cum Scriptura originali, *vi decreti Tridentini* tenenda.

49. *Scholion* 2um. Revelatio *stricto*, et *lato* sensu accipi consuevit, ideoque ejus significatio determinari debet, nisi ex contexta oratione clare pateat.

Secundum vim nominis, uti jam s. Hieronymus [1]) monuit, revelatio significat *remotionem velamenti*, quo res occultabatur. Revelatio sonat, ait, „cum quid tectum et velatum, ablato desuper operimento, ostenditur, et profertur in lucem." Hinc proprio, sive, *stricto* sensu accepta revelatio divina definiri solet: *Rei occultae facta divinitus manifestatio.* Sic autem intellecta, certo non est *essentialis* nota inspirationis ad scribendum. Porro vel ideo jure adstruitur, quod etiam *de facto* scriptores sacri, quoties locuti sunt de his, quae humana ratione cognoscere poterant, revelatione sensu *stricto* accepta non sint gavisi. Vetus enim laudatumque proverbium habet: *Sicut Deus non deficit in necessariis, ita non redundat in superfluis.* Atqui ad ea, quae scriptores sacri humana ratione cognoscere poterant, iis superflua *erat* revelatio *stricto* sensu sumpta. Ergo haec iis in hisce non adfuit.

Porro ultra argumentando *ab esse ad posse*, sequitur quod revelatio *stricte* dicta non est *essentialis* nota inspirationis ad scribendum [2]). Primam conclusionis partem *explicite*, ni fallor, adeoque alteram *implicite*, confirmat s. Thomas 2. 2^{ae}. Q. CLXXIV. art. II. ad 3. Plures eorum, *l. c.* inquit „qui hagiographa conscripserunt, loquebantur frequentius de his quae humana ratione cognosci possunt, non quasi ex persona Dei[3]), sed ex persona propria, *cum adjutorio tamen divini luminis.*" Lumen autem istud divinum Angelicus Doctor *ibid.* jam descrip-

[1]) *Comment. in epist. ad Gal.* I. 12.

[2]) Ratio propria cur revelatio stricte dicta non est *essentialis* nota inspirationis, dabitur ad n. 60.

[3]) I. e., non sicut prophetae proprie dicti, expresse attestantes, et dicentes ad populum „*Haec dicit Dominus.*"

serat „lumen intellectuale *divinitus infusum*, non ad cognoscendum aliqua supernaturalia [1]), *sed ad judicandum secundum certitudinem veritatis divinae* EA, QUAE HUMANA RATIONE COGNOSCI POSSUNT."

Itaque jam ex eo quod revelatio *stricte* dicta non requiritur ad essentiam inspirationis, et vel magis ex eo quod talis revelatio scriptoribus sacris *de facto* non fuit concessa in his quae humana ratione cognoscere *poterant*, — ut prorsus omnis exceptio praecludatur, dicam: *cognoscebant*, cum inspirarentur ad scribendum — evidenter patet, neotericos supra (ad finem n. 47. sub b). memoratos, perperam statuisse, scriptoribus Bibliorum ea, quae ratione humanâ duce perspecta habebant, non fuisse *inspirata*; aliis verbis: inspirationem restringi ad partes *stricto* sensu *revelatas*. Quantum sapio, hoc eorum paradoxum ex eo profluit, quod inspirationem cum revelatione *stricte* dicta confuderint. Idem esto judicium de distinctione, quam nonnulli confixerunt inter res in Scripturis contentas *religiosas* et *profanas*. Etenim propterea quod omnia in Scripturis contenta *inspirata* sunt, nihil proprie *profanum* in iis occurrit.

Divina autem revelatio *lato* sensu accepta definiri solet: *Veritatis* PROPOSITIO AB IPSO DEO *facta*. Hoc sensu acceptam revelationem inspiratio utique evidenter includit. Ideoque *lato* sensu accepta revelatio ét inspiratio promiscue adhiberi solent. Etenim quaevis inspiratio ad scribendum libros sacros revera est *lato* sensu accepta revelatio, quae primum quidem fiebat in mente hominis inspirati, ut deinde per scriptionem *tamquam verbum Dei* proponeretur Ecclesiae, et *objectum* fidei divinae constitueret non solùm pro ipso homine inspirato, sed etiam pro aliis omnibus, quando tamquam veritas inspirata satis propositum erat.

Ergo omnia et singula quae in Scripturis continentur, merito promiscue vocantur ét divinitus inspirata, ét *lato* sensu revelata. Ergo ultrà, quidquid in Scripturis ab Ecclesia receptis continetur, verissimè dicitur et est *objectum* fidei divinae; nam id omne et singulum revera sensu latiori quidem, sed frequentatissimo est ét revelatum, ét proprie inspiratum. Ergo iterum patet, quam longe aberrarint qui inspirationem ad res *stricto* sensu revelatas restrinxerunt, aut in Scripturis res *profanas* sibi finxerunt.

50. Recitato Concilii Vaticani *decreto* speciatim duplex nostrae aetatis error directe et explicite excluditur.

51. *Prior* eorum est, qui censuerunt, Scripturae libros *re-*

[1]) Uti in superiori prophetiae gradu, de quo *ibid.* agit.

vera in quibusdam partibus et textibus, nominatim „in narrationibus historicis rerum, quae subsunt experientiae", humana tantum industria scriptos nihilominus pro sacris et canonicis haberi, ideo quod postmodum auctoritate *Ecclesiae* approbati sunt [1]). Opinionem hanc oecumenicum Concilium Vaticanum duplici modo rejecit:

a). *Negando*, dicens: „V. et N. Testamenti libros integros *cum omnibus suis partibus* Ecclesia pro sacris et canonicis habet, NON IDEO *quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati.*"

b). *Affirmando*, quod „eos *cum omnibus suis partibus* Ecclesia pro sacris et canonicis habet, *propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.*"

52. *Alter* error eorum est, qui Scripturae libros vel *universim* [2]), vel *in quibusdam partibus*, nominatim „poëticis" [3]), pro sacris et canonicis habendos dixerunt ideo dumtaxat quod scripti sub assistentia divina *negativa* (quae tantum errores arcet) revelationem sine errore contineant.

Opinionem quidem eorum qui ita de libris Scripturae *universim* statuebant, Concilium pariter universim excludit verbis n° praec. sub a). recitatis subdens: „*nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant.*"

Sed ita illorum errorem damnans, simul reprobavit et exclusit placitum eorum qui docuerunt partes Scripturae *per accidens* revelatas, nominatim „poëticas", solùm scriptas esse sub assistentia *negativa*, praecavente errores quosvis. Etenim Concilium praedictis verbis horum errorem describens, nomine „revelationis contentae in Scripturis," non potuit intelligere dumtaxat *per se* revelata, sed necessario intellexit *omnia* quae in Scripturis continentur, atque hoc ipso vel *per se* vel *per*

[1]) Ita, i. a., censuit Ill^us^ Haneberg. Cfr. notam ad n. 86.
[2]) Uti docuere nonnulli Protestantes, et Dr. Joannes Jahn, de quo cfr. cl. H. Hurter *Nomencl. Lit.* T. III. n. 789.
[3]) Quod opinatus fuit Ill^us^ Haneberg cum aliis.

accidens pertinent ad revelationem verbo Dei propositam. Imo Concilium intellexit potissimum partes quae *per accidens* ad revelationem late dictam pertinent; illi enim quorum errorem proscribit, de rebus *per accidens* revelatis directe et maxime asserebant, libros Scripturae esse sacros et canonicos dumtaxat quatenus revelationem (propositionem hujusmodi rerum sub divina assistentia *negativa*) sine errore contineant.

53. *Scholion.* Atque haec est solemniter definita Ecclesiae doctrina de *facto inspirationis* Scripturarum sanctarum, deque ejusdem *extensione* ad utriusque Testamenti libros integros cum omnibus suis partibus, prout a Synodo Tridentina recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur.

Repetitio §. 1.

Doctrina Ecclesiae de inspiratione.

54. Recita canonem, et decretum Vaticanum de inspiratione Scripturae. (n. 42.)

I. *Doctrina.* Iis docemur factum a). proprie dictae inspirationis totius Scripturae; b). saltem simplicis authentiae, seu, conformitatis vulgatae cum Scriptura originali; c). sensum quo, et rationem propter quam utriusque T. libri cum omnibus suis partibus, prout a Conc. Tridentino recensentur et in vulgata habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt, sc. quòd scripti sunt sub inspiratione istiusmodi, quâ Deum vere habent auctorem principem.

II. *Errores.* Iis damnantur errores eorum omnium, qui a). factum proprie dictae inspirationis negant; b). aliquem librum integrum, vel aliquam partem librorum canonicorum, quos Tridentina Synodus recensuit, inspirata negant.

Speciatim *decreto* Vaticano damnantur duo recentes errores: a). quod *revera* Scripturae libri „in narrationibus historicis" humana tantum industria scripti, tamen ex subsecuta *Ecclesiae* approbatione, sacris Scripturis accensiti sunt. *Recita verba*,

quibus Concilium Vaticanum hunc errorem NEGANDO, *et* AFFIRMANDO *rejecit* (cfr. n. 51.)

b). Quod Scripturae libri *vel* universim, *vel* certe in partibus „poëticis" pro sacris et canonicis habendi sunt ideo dumtaxat quod revelationem sine errore continent. Ex seipso quisque facile solvet: *Quomodo, et quibus verbis* PRIOREM PARTEM *hujus erroris Concilium Vaticanum proscripserit.* — Quod ad alteram descripti erroris partem attinet, adnotamus, hanc iisdem verbis proscriptam esse. Quandoquidem ubi Concilium negat quod Ecclesia Scripturae libros pro sacris et canonicis habet ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant, potissimum intelligit sensu *lato* et *per accidens* revelata; nam horum proprie dicta *inspiratio* a neotericis, quorum errorem reprobavit, rejiciebatur.

III. *Nota.* 1°. Quae in Scripturis directe nos ordinant ad vitam aeternam, principaliter intenta, secundum et propter se, verbo: *per se* revelata dicuntur; *per accidens* autem, quae praeponuntur ad praedictorum manifestationem. Textus proin et loci qui prioris generis veritates factaque continent, jure appellantur *per se dogmatici*; qui posterioris generis, *per accidens dogmatici.* Dummodo enim de horum genuinitate, seu, authentiâ originali constet, aeque firmiter et propter idem *motivum formale* credenda sunt tam quae his, quam quae illis locis continentur.

Nota. 2°. *Differentia et convenientia revelationis et inspirationis.*

Revelatio *stricte* dicta est: *Rei occultae facta divinitus manifestatio.* Non est *essentialis* nota inspirationis, et *de facto* non adfuit scriptoribus sacris, *quoties* locuti sunt de his, quae humana ratione cognoscebant.

Revelatio *late* sumpta intelligitur locutio, seu, propositio veritatis viâ supernaturali facta, et definitur: *Veritatis propositio ab ipso Deo facta.* Hanc inspiratio includit, ideoque revelatio late dicta et inspiratio merito solent ut synonima ad-

hiberi, et omnia in Scripturis contenta fide divina credenda sunt, quia omnia vere inspirata, et lato sensu revelata sunt.

§. 2.

Ecclesiae sensa de inspiratione, hisque oppositi errores.

55. Ex praehabita dogmatica Ecclesiae doctrina de inspiratione, haec talis esse debet, ut vi ipsius inspirationis Deus infallibiliter agnoscatur proprie dictus auctor princeps librorum Scripturae cum omnibus eorum partibus, non tantum ratione *materiae*, sed vel maxime ratione *scriptionis* eorumdem.

Atqui, sane auctor princeps libri [1]) proprie non est qui sua sensa alteri quidem communicat, sed non in ordine ad ea scribendum, nec alterum inducit ad illa scribenda; — neque quis se agnoscet auctorem libri, si ille, cui sensa sua ad scribendum communicavit, non ea omnia ét sola quae libro, suo nomine edendo, comprehendi voluit, scripto excipiat, sed vel eorum aliquid *essentiale*, seu, *formale* omittat, vel iis quidquid etiam *accidentale*, seu, *materiale* [2]) tantum suo marte ad-

[1]) Nihil hìc refert utrum brevior sit, an longior; agitur namque non solum de integris Scripturae libris, sed pariter de omnibus eorum partibus.

[2]) Nomina *formae* et *materiae* desumpta sunt ex compositis physicis. Quoniam in his *forma* dat ac determinat *esse specificum* in eo ordine sive substantiali sive accidentali, in quo forma consideratur; *materia* autem necessario quidem aliqua subest formae, sed ad *esse specificum* indifferenter se habet, an in individuo haec vel illa sit: propterea in translatione horum nominum ad alios etiam ordines, illud quod propriam rationem sive rei sive notionis determinat, appellatur *formale*; illud vero quod in individuo ad istam propriam rationem indifferenter se habet, dicitur *materiale*. In praesenti igitur quaestione *formale* dicimus id omne, quo liber constituitur talis, et sine quo non esset talis, qualem auctor pro libri scopo esse vult; *materiale* vero appellamus, quod potest aliter (puta, alio ordine, alio stylo, aliis verbis) se habere quin liber desinat esse, qualem auctor pro ejus scopo esse vult. Unde haec eadem, si mavis, poteris dicere *essentialia* et *accidentalia* libri. Ita dilucide Card. Franzelin *l. c.*, Th.III. p. 349. — Itaque in quolibet libro res, seu, sententiae, utpote omnes et singulae ab auctore *per se* intentae, certe pertinent ad ejusdem rationem *formalem*; nisi enim hae omnes et singulae exprimantur, manifesto liber non esset talis, qualem auctor princeps esse voluit. Cetera vero omnia, quae auctor princeps *per se* non intendit, utique *aliquo* modo debent adesse; alioquin enim ipsa *forma* ab auctore intenta exprimi nequiret; verum, quum haec alio et alio modo se habere possint, quin sententia,

dat. Si enim quid *essentiale*, seu, *formale omittat*, jam liber non esset talis, qualem auctor pro ejus scopo esse voluit, atque adeo nec auctor *talis* libri proprie dici potest. Si autem suo marte *aliquid* vel *accidentale*, seu, *materiale* addat, evidenter non est principalis auctor hujus partis superadditae.

Atqui ultra, ut speciatim *Deus* sit princeps *auctor libri*, requiritur ut homo inspiratus sensa, quae Deus ab eo scribi vult, non solùm actu, sed et *infallibiliter* apto ordine disponat, aptisque signis exprimat. *Imprimis* evidens est requiri *rerum dispositionem et signa* APTA. Manifesto enim sensa auctoris principis non possunt esse scripto expressa, nisi rerum ordo et signa eligantur *apta* ad sensum illius exprimendum. *Insuper* requiri ut homo scribens non solùm actu eligat, sed etiam *infallibiliter eligat* rerum ordinem et signa *apta* ad res et sententias sibi inspiratas vere et sincere exprimendas, atque adeo ut in apta rerum dispositione, aptaque verborum electione ex Dei assistentia reddatur infallibilis, ex eo patet, quod, si supponatur homo mente et voluntate inspiratus quidem ad sensa Dei scribenda, sed in eorum ordinatione, vel in electione signorum quibus ea exprimat *plene sibi* permissus, hoc ipso scriptor maneret fallibilis in exprimendis conceptibus inspiratis, atque Deus rerum quidem et sententiarum scribendarum, verbo: *materiae* auctor princeps foret, sed non ipsius quoque *scriptionis*; quippe quae ex supposito esset mere humana, adeoque et errori obnoxia esse posset. Jam vero, ex doctrina Ecclesiae superius relata, vi ipsius inspirationis Deus agnoscendus est proprie dictus auctor princeps librorum Scripturae cum omnibus eorum partibus, non tantum ratione materiae, sed et maxime ratione scriptionis eorumdem. Infallibi-

---

imo integer liber desinat esse talis, qualem auctor esse voluit, puta rerum dispositio, stylus, et verba, dummodo singula *apta* sint ad res et sententias auctoris principis vere et sincere exprimendas, ut plurimum, sive, generatim loquendo, inter libri *materialia*, seu *accidentalia* merito recensentur, quae per se non necessario attribuenda sunt auctori principi, ut hic vere sit *auctor libri*, sed, salvâ conditione positâ, auctori secundario permitti possunt.

liter igitur consequitur quod germana inspiratio omnino etiam includere debet assistentiam divinam, quâ homo efficiatur infallibilis in conceptibus inspiratis vere et sincere exprimendis, h. e., in ipsa rerum scribendarum apta dispositione, aptorumque verborum electione.

56. Ergo vel ex simplici instituta analysi termini complexi: *auctor princeps libri*, et formulae dogmaticae: „*utriusque T. libri Deum habent auctorem*", per quam Ecclesia in Concilio Vaticano enucleatius quidem, sed eodem plane sensu in omnibus anterioribus suis decretis significavit inspirationem integrorum librorum sacrae Scripturae cum omnibus eorum partibus, evidenter sequitur, atque revera Theologi communiter, certe inde a Concilio Tridentino (namque ante hac veritas ista simpliciter tenebatur) intulerunt ad genuinam notionem inspirationis stricte dictae, ex mente Ecclesiae certo requiri notas quatuor insequentes:

1°. Efficacem impulsionem voluntatis ad scribendum.

2°. Illustrationem, aut elevationem intellectus, vi cujus scriptor ea omnia et sola concipiat in ordine ad scribendum, quae Deus ab eo scribi vult, et

3°. Motionem voluntatis, qua scriptor nihil *essentiale* omittat eorum, nihil quidquam adjiciat ad ea, quae Deus ab ipso scribi vult.

4°. Assistentiam divinam, quâ auctor inspiratus reddatur infallibilis in ipsa rerum sibi inspiratarum scriptione, adeoque et in *apta* harum dispositione, et in electione apti styli et verborum aptorum ad res inspiratas vere et sincere exprimendas.

Tres priores notae *essentiales* sunt genuinae inspirationi stricte dictae, quarta divinae inspirationis est *attributum*, seu, consectarium necessarium.

57. Ergo ultra Scripturarum inspiratio, plane congruens sensis Ecclesiae, recte definitur: *Actus, quo Spiritus Sanctus hominis intellectum illuminat, et voluntatem movet ad sua ipsius*

sensa scripto excipienda, illumque in scribendo dirigit ita, ut errare omnino nequeat.

Dr. 1°. *Actus.* — *Qualis autem actus est inspiratio?*

58. R. 1°. Omni ex parte *supernaturalis*; nimirum tam ex parte *principii*, quam *effectus* in scriptores sacros, et *finis*. Inspirationis namque *principium* est ipse Spiritus Sanctus, qui sua operatione naturales facultates hominis conscriptoris perficit, ad ordinem altiorem evehit, atque demum spectat aeternam salutem legentium aut audientium Scripturam suam.

2°. *Positivus.* Per inspirationem quippe Spiritus Sanctus modo positivo in scriptores sacros agit, eorum intellectum illustrando, voluntatem movendo, eosque ab omni errore praemuniendo.

3°. *Internus*, in anima hominis inspirati, non tamen „per modum habitûs eidem immanentis, sed magis per modum passionis, seu, impressionis transeuntis", ut de prophetia s. Thomas docet, 2. 2ae. Q. CLXXI. art. II.

Dr. 2°. Actus, quo *Spiritus Sanctus.*

59. Inspiratio enim, quamvis sit actus communis SS. Trinitati, specialiter Spiritui Sancto tribuitur, uti jam n. 5. animadversum fuit.

Dr. 3°. Actus, quo Spiritus Sanctus *hominis intellectum illuminat.*

60. *Hominis* nomine hìc designari Scripturarum auctores *secundarios*, causas *instrumentales* rationales evidens est. — Inspirationem potissimùm versari circa scriptoris inspirati *intellectum* ex eo patet, quod per Scripturam inspiratam Spiritus Sanctus scriptoribus sacris patefecit veritates, quas synagogae aut Ecclesiae propositas voluit. Jam vero *veritates* principale, imo proprium sunt *intellectûs* objectum. Accedit quod Spiritus Sanctus per inspirationem stricte dictam non solùm veritates jam pridem scriptoribus sacris humanâ ratione cognitas vel certe *cognoscibiles*, modo perfectiori, prorsus sc. *infallibili* perspiciendas curavit, nempe, uti n. 49. s. Thomam dicentem

audivimus, „*secundum certitudinem veritatis divinae*"; sed et — quantum opus fuerit — iis sensu *stricto* revelavit veritates, quae iis alioquin omnino imperviae, vel saltem proxime ante ipsam scriptionem ignotae erant. *Ratio* autem cur, revelatio *stricto* sensu accepta — uti *l. c.* jam monitum fuit — non est elementum *essentiale* inspirationis, evidenter ea est, quod praecedens cognitio hominis profecto non obstat, quominus Deus veritates homini jam aliunde cognitas vel *cognoscibiles* potuerit suo consilio comprehendere ùt per Scripturam tradendas Ecclesiae, nec quominus supernaturali sua operatione efficere potuerit, ut homo istiusmodi veritates mente et voluntate conceperit *ad eas scripto consignandas.*

61. *Scholion.* Eadem ratione evincitur, quod, prorsus salva inspiratione, auctores sacri adhibere potuerint suam industriam, studium, et praesidia, puta documentorum et testium ad veritates concipiendas, quas ab iis Deus scribi voluit. Dummodo constet quod vere sunt auctores sacri, non amplius in quaestione ponendum, sed ut axioma accipiendum est, quod supernaturalis operatio et directio Dei effecerit, ut hominis inquirentis intellectus ea omnia et sola sensa ad scribendum conceperit, pariterque voluntas supernaturaliter mota sit ad eadem sensa omnia et sola scripto exprimenda, quae Deus suo consilio comprehendit ut scribantur. Ergo quae dicunt v. g. auctor certo inspirati libri II. *Machabaeorum* cap. II. 24.-27., s. *Lucas* I. 2. 3., *Joannes* XIX. 36. etc. nequaquam probant sibi defuisse divinam inspirationem, sed omnino confirmant quae dicta sunt n. 10., sc. eos vere fuisse librorum suorum causas instrumentales rationales, sive, non mortua aut passiva tantum, sed viventia et rationabilia instrumenta, qui et ipsi aliquid egerint. Atque haec de ipsis rebus et sententiis vera sunt. Porro quum auctores sacri verius (cfr. §. 3. a n. 72.) in delectu verborum et in stylo ut plurimum suo ingenio et eruditioni permissi sint, atque per assistentiam divinam tantummodo muniti sint contra errorem quemcumque veritati et sinceritati rerum et sententiarum obfuturum, *a fortiori* nihil contra inspirationem probant excusationes de tenuitate et mediocritate sermonis, quas profert auctor libri II. *Machab.* cap. II. 24., et XV. 38.-40.

Dr. 4°. Actus, quo Spiritus Sanctus hominis intellectum illuminat, *et voluntatem movet ad sua ipsius sensa scripto excipienda.* Verbis sublineatis significatur:

62. *Primo*, quod auctores sacri non ex seipsis, non suo solum marte, suaque sponte, seu, voluntate, sese determinarunt ad scribendum, vel re ipsa scripserunt, sed a Spiritu Sancto acti et moti sunt ad scribendum, et scripserunt, quin tamen eorum libertas per inspirationem laesa fuerit; libere enim et voluntarie operationi Spiritus Sancti consenserunt, haud secus ac qui gratiae efficaci consentit, non *necessitate antecedente*, sed solum *infallibiliter* eidem cooperatur.

63. *Secundo*, quod non solum actu, sed etiam *infallibiliter* scripserunt sensa *omnia et sola* quae Spiritus Sanctus ab iis scribi voluit. Secus enim, ut ex notione *auctoris libri*, n. 55. declaratâ, constat, Deus simpliciter vere et proprie non esset auctor princeps Scripturae *librorum* integrorum cum omnibus eorum partibus, qualis tamen fide indubitatâ agnoscendus est.

64. *Tertio*, speciatim postremis verbis „ad sua ipsius sensa *scripto excipienda*", inspiratio stricte dicta distinguitur ab omni alio munere aut charismate, utputa a *revelatione stricte* dicta (cfr. n. 49. 60.); — ab assistentia tam *generali*, qua nonnulli sancti in scribendo gavisi feruntur (n. 13.); — quam magis *speciali*, sed imprimis *negativa*, qua Ecclesia docens gaudet ad revelationem quâ voce quâ scripto annunciandam (n. 8.); — ab inspiratione *ad loquendum*, qua prophetae, *ut tales* agebantur; — a munere *Apostolatûs* procul dubio *per se*, et, ut mihi quidem persuasum est, etiam *in concreto* sumpto [1]).

Dr. 5°. „*illumque in scribendo dirigit ita, ut errare omnino nequeat.*

65. Hac definitionis parte denotatur genuinae inspirationis

[1]) A scopo hujus tractatus alienum reor hìc referre rationes, ob quas debita cum reverentia, dissentio ab iis quae hac de re tradit Illmus p. m. Ubaldus Ubaldi, *Introd. in S. S.* vol. II. a p. 78.-80.

attributum, sive, consectarium necessarium; sc. Spiritus Sancti *directio*, sive, *assistentia* talis, quae hominem inspiratum in scribendo ab omni prorsus errore immunem praestat ita, ut vi ipsius *assistentiae* — uti superius jam semel et iterum (n. 55. et 56.) significatum fuit — scriptor sacer *infallibiliter* litteris mandarit solas sed et omnes res et sententias sibi inspiratas, sive eae dogmaticae sint, sive morales, sive historicae, sive physicae, sive quaecumque tandem aliae, verbo: sive *per se*, sive *per accidens* revelatae habendae sint, adeoque et *infallibiliter* elegerit signa apta ad res et sententias eas omnes et solas, quas Spiritus Sanctus ab eo scribi voluit, vere et sincere exprimendas.

66. *Opiniones falsae.* Ergo circa naturam inspirationis per *defectum* errant, falsaeque sunt opiniones eorum, qui omnem *impulsionem ad scribendum* excludunt, rati sufficere Spiritus Sancti illuminationem et directionem *inter scribendum*, ita ut vere scriptores sacros eos reputent, qui proprio motu scribere incepissent, sive, suâ tantum voluntate sese determinassent ad scribendum. Quae opinio tribuitur Ludovico Ellies Dupin.

67. Qui inspirationem cum infallibilitate confundentes, cum cl. Jac. Bonfrerio, S. J., adstruerint inspirationem *concomitantem*, quâ Spiritus Sanctus se habuerit „ad eum modum, quo qui alterum oculo dirigeret ne in re quapiam erraret", quibusque visus est hic modus conservatus non — uti Dr. Jahn tenuit (cfr. n. 52.) — in omnibus libris et textibus Scripturae, sed dumtaxat „in historiis, dictis aliorum, factisque referendis, quae vel visu cognita, vel auditu ab hominibus fide dignis accepta fuerant", nominatim in Evangeliis, Actis Apostolorum, libris Machabaeorum, et similibus. Quamvis porro cum assistentia illa *negativa* Bonfrerius — en alterum illius a Dris Jahnii doctrinâ discrimen — ubique, in omnibus libris et locis Scripturae conjunctim admittat inspirationem *positivam* in *actu primo*, quae quoties fuerit necessarium, transierit in

actum secundum; tamen cum Em^mo^ Franzelin existimamus, ejus opinionem sine dubio falsam esse, nec praesertim post definitionem Vaticanam amplius posse sustineri. Quandoquidem ex hac Bonfrerii doctrinâ, in sacris libris multa extarent, quae in *actu secundo*, i. e., revera proprie inspirata non essent, sed solum humanis viribus sub assistentia Dei infallibili conscripta.

68. Qui cum cl. Leon. Lessio et Hamelio — si qui tamen sint praeter Bonfrerium et Richard Simon — *hypothetice*, ut rem non impossibilem defenderunt sufficere — si ita absque contradictione in terminis dici potest — inspirationem *subsequentem*, i. e., testimonium publicum *Spiritus Sancti* de plena veracitate libri humana solum ope scripti.

69. *Scholion.* Consideranti verba sublineata patebit duplex discrimen quod intercedit inter famosam *tertiam* Lessii thesin de Scriptura, et doctrinam supra n. 51. ut haereticam signatam. Lessius namque a). requirit testimonium seu approbationem *Dei* (non Ecclesiae tantum); b). dicit sic fieri *potuisse*; non quod sic vere factum sit. Ceterum adeantur Em^us^ Card. Franzelin *l. c.* Th. IV. p. 370.; cl. Kleutgen, n. 13.-27. *Appendix* ad opus cl. Gerardi Schneemann, quod inscribitur: *Controversiarum* etc., aut certe cl. H. G. Wouters, *Hist. Eccl. Comp.* ep. X. n. 63.

70. Circa *extensionem* inspirationis deficiunt, qui ausi fuerunt negare, inspirationem Spiritus Sancti extendi ad res, ut vocant, *minimas*, ad singula vel minutissima incisa, quae in Scriptura originali, et genuina occurrunt, quod genus sint, e. g., Tobiae canis cauda blandiens, penula a B. Paulo Apostolo Troade relicta, salutationes ab Apostolis adnexae epistolis suis, et reliqua similia. Ex hac enim theoria Deus non esset vere auctor princeps harum rerum scriptarum; scriptores sacri non sola Spiritus Sancti sensa scripto excepissent. At vero id sine temeritate sustineri nequit, ac proin eorum opinio *intolerabilis* habenda est, ac falsa, ut dilucide docet card. Franzelin *l. c.* p. 351. et 722. *A fortiori* idem dicendum de *Aëtio*, antesignano *Anomaeorum*, de *Desiderio Erasmo*

etc., qui non veriti sunt affirmare, auctores Scripturae interdum nonnulla scripsisse secundum hominem, i. e., aliquando humano more errare potuisse, imo re ipsâ identidem memoriâ aut affectu lapsos esse in rebus non *per se* revelatis.

Repetitio §. 2.

Ecclesiae sensa de inspiratione.

71. I. Ex analysi formulae dogmaticae: „Ecclesia utriusque T. libros integros cum omnibus suis partibus pro sacris et canonicis habet propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti *Deum habent auctorem*", perspicue fluit et *theologice certum* est secundum mentem Ecclesiae, quam Theologi communiter testantur, ad veram inspirationem requiri *quatuor* notas sequentes:

1°. *Efficacem impulsionem*, seu, excitationem *ad scribendum*. (Quod est contra Dupin). 2°. *illustrationem intellectus*, et 3°. *motionem voluntatis* ad scribendum *omnia et sola sensa Dei*. (Quod est contra inspirationem *concomitantem*, quam „in historiis" sufficientem censuit cl. Bonfrerius *negativam* cum *positiva in actu primo*; et *a fortiori* contra Jahn. Item contra eos qui temerario ausu ab inspiratione excludunt res, ut vocant, *minimas*; etenim has quoque ss. Patres, utputa Hier., Aug., et Theologi communiter — excepto uno vel altero de paulo vetustioribus — vere inspiratas habuerunt et credendas. 4°. *Assistentiam divinam* jugem, seu, in toto opere perficiendo, sc. qua scriptor reddatur *infallibilis* in scribendis rebus, aptaque harum dispositione, aptorumque verborum electione, verbo: etiam quoad *materiale* libri. (Quod est contra Aëtium, Erasmum etc. qui dixerunt, scriptores sacros errare potuisse, imo interdum errasse in rebus non *per se* revelatis).

II. Inspiratio igitur recte definitur: *Actus* 1), *quo Spiritus Sanctus hominis intellectum* 2) *illuminat, et voluntatem* 3) *movet ad sua ipsius sensa* 4) *scripto* 5) *excipienda, illumque* 6) *in scribendo dirigit ita, ut errare omnino nequeat.*

1°. Inspiratio est actus a). *supernaturalis* ex parte *principii*, *effectûs* in scriptores, et *finis* intenti, b). *positivus* . . ., et c). *internus*. . .

2°. *Deus* per inspirationem *intellectum auctoris secundarii illuminat* ita, ut veritates, quas ab eo scribi vult, ipsi jam cognitas *infallibiliter* cognoscat; ignotas *infallibiliter* discat stricte dictâ revelatione.

Itaque inspiratio non excludit scriptoris sacri rationem naturalem, neque industriam, et laborem ad res cognoscendas, et apte exprimendas; sed haec perficit, eumque vel in electione verborum ab omni praeservat errore, qui vere et sincere exprimendis sensis Dei officeret.

3°. *Et voluntatem movet.* „Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia," (aut Scriptura sacra quaevis), „sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt (sive ore, sive scripto) sancti Dei homines" (cfr. II. *Petri* I. 21.); libere tamen et voluntarie, ut *a simili* patet ex eo, qui gratiae efficaci cooperatur.

4°. *Ad sua ipsius sensa.* Intellige *generatim*, id omne quod in Scripturae libro determinato ex intentione Dei est *essentiale*, seu, *formale*. Per exceptionen, etiam omne id quod alibi generatim venit ut libri *accidentale*, seu, *materiale*.

5°. *Scripto excipienda.* Igitur inspiratio ad scribendum differt ab omni alio charismate Spiritus Sancti, puta a revelatione stricte dicta etc.

6°. *Illumque in scribendo dirigit ita, ut errare omnino nequeat.* Designatur Spiritus Sancti assistentia jugis in scribendo, ex qua sequitur scriptoris sacri *inerrantia*, *infallibilitas* omnimoda sc. et in materia, et in hujus apta scriptione.

§. 3.

De inspiratione quaestiones scholae.

72. Quaestio etiamnum libere controversa duplex est. Prior quaestio *juris* haec est: Utrum recensitae quatuor notae ad

essentiam et naturam genuinae inspirationis etiam *sufficiant*, an praeterea sit „de essentia Scripturae quod sit dictata a Deo (proprie inspirata) quoad singula verba." — Altera quaestio *facti* ea est: „An s. Scriptura (originalis) a Deo dictata *est*, non tantum quoad res et sententias, sed *etiam quoad singula verba*, (*litteras*, *apices* etc.").

73. Atqui sic dicti primi Reformatores Lutherus et Calvinus rem utramque mordicus affirmarunt. Inter Theologos autem Catholicos variis temporibus modo opinio affirmans, modo negans praevaluit. Certe saeculo XVI., quum anno 1587. cl. Lessii thesis 1ª quae habebat *ut aliquid sit Scriptura sacra*, *non est necessarium singula ejus verba inspirata esse a Spiritu Sancto*, censoriâ notâ inusta fuit ab Universitate Lovaniensi, communior erat sententia affirmans. Imo fere medio saeculo sequenti cl. Dens (*l. c.* n. 60.) ad 1am. adhuc respondet: „Sententia affirmativa est communior", et ad 2am. absolute respondet: „Affirmative." Deinceps autem communius, et nostra quidem aetate plerique omnes negant Theologi, quorum omnium loco unus sit s. Alphonsus de Liguorio; et quibus jam saeculo IX. Agobardus, Archiepiscopus Lugdunens. praeivisse jure pleno asseveratur.

74. *Scholion.* Ut status controversiarum plenius perspiciatur, animadvertendum:

1°. Tantummodo quaestionem esse de natura et extensione inspirationis stricte dictae prout haec complectitur quidem *assistentiam*, sed et ab hac *essentialiter* distinguitur; nam apud omnes in confesso est, *assistentiam* divinam pertinere ad naturam inspirationis, eamque requiri ad verba singula et quaecetera sunt libri *accidentalia*, quantum necesse fuit *infallibiliter* cavere, ne scriptores sacri uterentur rerum ordine, stylo, verbisve ineptis ad res et sententias sibi inspiratas vere et sincere exprimendas.

2°. Quaesitum fuisse: An inspiratio stricte dicta essentialiter vel saltem de facto se extenderit etiam ad *singula* verba? Quum enim exceptio firmet regulam, patroni sententiae ceteroquin negantis, facile concedunt *quaedam* etiam *verba* proprie fuisse inspirata, sc. quando haec in casu particulari ad *for-*

male talis libri ex Dei scopo pertinuisse satis apparent; quale reputatur nomen λογος, *Verbum*, in scriptis s. Joannis designans secundam SSmae Trinitatis Personam; σπερμα, *semen*, in singulari, et non *in seminibus*, quasi in multis: sed quasi in uno, qui est Christus (ad *Gal.* III. 16.); in priore quippe verbo tota moles doctrinae, in altero tota vis argumentationis haud dubie ita consistit, ut haec sine inspiratione aut revelatione proprie dicta homo aptis verbis exprimere non potuisset. Propter eamdem rationem satis convenit proprie debuisse inspirari verba praecipua, quibus apte enunciarentur vaticinia, mysteria et praecepta positiva, si quae hujusmodi sunt, quae *primùm scripto edita fuerint*, et non jam ore prolata fuerant.

3°. Quaestionem *facti* sin unice, certe potissimum versari circa *verba*; nam satis hodie inter auctores convenit, inspirationem se non extendere ad verborum *litteras*, *apices*, et *commata* quaeque, ut olim contenderunt nonnulli catholici, itemque Protestantes, qui idcirco *rigidioris* inspirationis vindices vocati sunt; quapropter in ipsa quaestione vocabula: *litteras*, *apices* etc. parenthesi includimus.

4°. Agi tantum de Scriptura *originali*, sive, de textibus primigeniis hebraicis et graecis, prout hi extabant quando e manibus scriptorum sacrorum exierunt; non autem prout nunc extant, omnium consensu, vel ex errore, vel ex negligentia librariorum infecti pluribus mendis *accidentalibus*, quae profecto nequaquam inspirata dici possunt. *A fortiori* hìc non est sermo de *versionibus*, puta de vulgata nostra latina, quae utique in se non est *inspirata* quoad res, nedum quod verba. Nihilominus vulgatae nostrae libri, non minus quam in ipsa Scriptura originali, saltem in rebus fidei et morum sunt *Dei auctoris*, adeoque ejusdem cum Scriptura orginali auctoritatis, ut suo loco penitius declarabitur (cap. IV. n. 212.)

75. Argumentum quod evincat, ad utramque quaestionem negandum esse, imprimis hoc sit *negativum*. Inspiratio verborum singulorum, et omnium eorum quae in libro ex scopo auctoris *accidentalia* sunt, seu, *materiale*, nec *essentialiter*, nec universim [1]) necessario requiritur ad veram inspirationem, per et propter quam Deum profitemur auctorem utriusque Testamenti librorum integrorum cum omnibus eorum partibus. Res constat ex instituta n. 55. analysi termini complexi: *Deus*

[1]) Exceptiones, quae firmant regulam, indicatas vide n. praec. sub 2°.

est libri auctor princeps. Ergo nec praesumenda est *de facto* auctoribus secundariis praesto fuisse, nisi demonstretur. Nam, „sicuti Deus non deficit in necessariis, ita non redundat in superfluis", atque proin, quum adversariorum demonstratio adhuc desit, etiam inspiratio singulorum verborum, ceterorumque libri *accidentalium* ut non essentialis, et non necessaria ad veram inspirationem dicenda est, tanto magis quod suppetant argumenta *positiva*, quibus probatur auctores inspiratos in verbis seligendis, et in modo scribendi grammatico atque rhetorico plerumque ad unum divinitus accepta dictatione non fuisse determinatos. Sunt autem haec potissima argumenta *positiva.*

76. a). Ipsa elocutionis et styli diversitas respondens diversae indoli et eruditioni auctorum sacrorum, uti expresse s. Hieronymus docet de Isaia et Jeremia, et manifeste s. Thomas supponit ubi [1]) declarat rationem propter quam epistola ad *Hebraeos* (quam putavit hebraice a s. Paulo scriptam) ceteris ejus epistolis est elegantior in stylo.

b). Diversitas quae reperitur v. g. apud Evangelistas cum eosdem Christi sermones aliis atque aliis verbis referunt; e. g. sint verba, quibus Christus usus est in institutione ss. Eucharistiae.

c). Testimonium auctoris inspirati libri II. *Machabaeorum*; quippe qui cap. XV. ℣. 39.-40. verba, eorumque ordinem manifeste sibi vindicat.

d). Quod auctores sacri saepius usi sunt amanuensibus; nevix enim concipitur quod his singula verba sibi inspirata dictassent, utputa b. Paulus Tertio verba quibus constat epistola ad *Rom.*; sane inauditum, quod et ipsi amanuenses *inspirati* fuerunt.

77. *Scholion.* Sententia ss. Patrum hac in re certo non est ita unanimis, ut ex eorum auctoritate quaestio dirimi queat.

[1]) Cfr. „Prologus" in epist. *ad Hebr.*, et 2. 2ae. Q. CLXXVI. art. I. ad 1um.

Certe s. Hieronymus, Augustinus, alii nostrae sententiae aperte favent. Patrum autem effata, quae pro opposita sententia afferri solent, commode in eum sensum explicari possunt, ut tantum significare voluerint, omnia et singula verba Scripturae summa reverentia esse excipienda, et studiose expendenda, *quia* omnia sensu plena, nullum inutile, aut otiosum, quum omnia et singula conscripta sint Deo *assistente*, et providente, ne voces superfluae, aut ad sensus inspirati expressionem ineptae adhiberentur.

78. *Corollarium.* Ex omnibus adhuc praestitutis satis constat, saepius memoratas quatuor notas ad genuinam inspirationem etiam *sufficere*, atque adeo supra datam definitionem etiam integram, proindeque omni ex parte legitimam esse.

Repetitio §. 3.

De inspiratione quaestiones scholae.

79. I. *Status quaestionis* is est: Utrum inspiratio stricte dicta (prout distinguitur ab „assistentia") *essentialiter*, aut *de facto* se extendat etiam ad *verba singula*, ceteraque librorum sacrorum primigeniorum *accidentalia*, an solùm ad res et sententias, et cetera, quae per exceptionem ex scopo auctoris principis ad determinati libri *formale* pertinere reputantur.

Nota dictum esse: 1°. *verba singula*; nam satis convenit inspirationem non se protendisse *ad litteras, apices, commataque singula.*

2°. *Librorum primigeniorum*; nam versiones generatim loquendo (quae restrictio additur intuitu versionis graecae LXX, quam nonnulli inspiratione factam esse contendunt, cfr. n. 186.) non fuerunt inspiratae, et certo non Vulgata nostra.

II. Sententia negans quod spectat ad 1ᵃᵐ. quaestionis partem, probatur ex argumento *negativo*; quia inspiratio singulorum verborum, ceterorumque libri *accidentalium* non est necessaria ut Deus vere et proprie credatur ejusdem auctor princeps; et etiam 2ª. pars confirmatur ex quatuor argumentis *positivis*, quae sunt, diversitas a). styli; b). relationis eorumdem sermonum Christi; c). scriptor libri II. *Machab.* sa-

tis aperte stylum sibi vindicat; d). usus amanuensium.

Nota. Assistentia divina, quae procul dubio praecavit ne scriptores sacri ullum ineptum verbum adhiberent ad sensa inspirata vere et sincere exprimenda, plane sufficit ad omnimodam s. Scripturae commendandam dignitatem et auctoritatem. Porro ex eâ una cum inspiratione rerum et sententiarum, satis intelligimus, quomodo ss. Patres testentur 1°. linguas et manus hagiographorum, ac ipsos scriptores fuisse Spiritus Sancti calamos et amanuenses, nimirum, ut causas instrumentales rationales, quae plerumque et ipsi, secundum praesentem Dei ordinationem in ceteris omnibus gratiae operibus, quid egerunt; 2°. singula verba esse sensu plena.

CAPUT III.

De Scripturae sacrae canone.

80. Hoc capite docenda quatuor complectimur §is, quorum 1°. traditur notio canonis. 2°. Divisio librorum habita ratione ad canonicitatem, et appendix de libris deperditis. 3°. Ipsius canonis divisio, et summa historica. 4°. Decreti „de canonicis Scripturis", editi in sess. IV. Concilii Tridentini, partes, falsae interpretationes, et ejusdem sensus genuini tuitio.

§. 1.

Notio canonis.

81. *Definitio etymologica.* Vox graeca κανών proprie significat *regulam*, seu, *amussim*, quâ rectum ab obliquo discernitur, et quae neque additionem, neque detractionem patitur. Minus quidem proprie, sensu autem usu maximè recepto, etiam venit pro *censu*, *indice*, *catalogo* quarumcumque rerum vel personarum.

82. Sacra Scriptura utroque quidem sensu *canon* jure vocari *potest*. Scriptura enim est *regula* inanimata secundum

quam Ecclesia docens judicet, quid fide sit tenendum, quidve respuendum (cfr. n. 4). Authentica porro collectio illorum librorum, qui constituunt Scripturam sacram, seu, verbum Dei scriptum, vere *census*, et *index*, et *catalogus* est librorum, qui ut sacri et divinitus inspirati Ecclesiae traditi sunt, quo omnes Christifideles facili negotio libros Scripturae a ceteris omnibus dignoscant. Hoc posteriore sensu libri Scripturae *h. l.* canonici *vocantur*. Quinimo inde a majoribus usus obtinuit, ut quoties vox *canon librorum* sine ulteriori determinatione adhibetur, ultimo hoc sensu accipiatur, atque ut *libri canonici* ad differentiam omnium aliorum simpliciter ii intelligantur, qui publice tamquam sacri et divinitus inspirati recepti sunt.

83. *Scripturae canon* igitur est catalogus librorum, qui a legitima auctoritate sc. Synagogae ac Prophetarum sub V. T., — Apostolorum, horumque successorum sub N. T., ut sacri et divinitus inspirati fidelibus recipiendi propositi sunt, et proponuntur.

84. *Quid igitur est ipsa canonicitas?* R. *Distinguo*, prout vel in sua causa, vel in suo effectu spectatur. — *Causaliter*, sive, *efficienter* considerata definiri potest: *Legitimae auctoritatis sententia, quâ liber sacer et inspiratus ut talis authentice declaratur, ac suscipiendus proponitur.* — *Effective* autem spectata est: *Extrinseca qualitas libro sacro et divinitus inspirato superveniens, quâ ejusdem divinitas et inspiratio, ut veritas in Revelationis deposito jam existens, per Ecclesiae sententiam manifesta est*, uti quodvis aliud dogma definitum.

85. Ex data canonis et canonicitatis notione sint quinque sequentia, haud parvi momenti, corollaria. Ergo — ut verbis utar cl. Fr. Sylvii — „*prius est* aliquam Scripturam esse *sacram*, quam esse *canonicam*; librique illi, de quibus, antequam auctoritas Ecclesiae [magis explicite [1])] accederet, dubitatum fuit ab aliquibus catholicis an essent sacri, eâdem vero postmodum auctoritate accedente, declarati fuerunt sacri esse,

[1]) Hujus additionis ratio facile colligetur ex dicendis.

a primo suo initio erant Scriptura *sacra*, etsi demum postea fuerint Scriptura *canonica*, quando scilicet in sacrum canonem sunt relati."

86. Ergo potest aliquis liber esse sacer et inspiratus, qui non sit canonicus; non autem vice versâ; nequit enim liber declarari canonicus, nisi sit sacer et inspiratus, atque ut talis ipsi Ecclesiae traditus [1]).

87. Ergo omnis liber canonicus necessario est inspiratus; at non vicissim.

88. Ergo praedicata haec: liber *sacer*, *inspiratus*, *canonicus*, tametsi sensu *stricto* sumpta inter se notionibus propriis differant, tamen sensu *lato* propter triplicem rationem merito ut synonyma accipiuntur, uti opportune ad n. 7. adnotatum fuit.

89. Ergo falluntur aut fallunt Protestantes cum objiciunt, Ecclesiam sine *nova* revelatione non potuisse libros *deutero*-canonicos canoni suo inserere; aliis verbis: horum quoque divinitatem et inspirationem definire. Qui forsan adhuc falsi fuerint, ab ipso Concilio Vaticano veram hac de re, aliisque similibus, doctrinam Ecclesiae Romano-Catholicae discere possunt, ubi sess. IV. cap. IV. habet: „Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut *eo revelante novam* doctrinam patefacerent; sed ut *eo assistente traditam per Apostolos revelationem*, seu, *fidei depositum* sancte custodirent, et fideliter exponerent."

Repetitio §. 1.

Notio canonis.

90. I. Κανών etymologice 1°. loco significat *regulam* (Scriptura continet *regulam* fidei et morum partiariam); — 2°. *catalogum*, seu, indicem puta s. Librorum. Sic *h. l.* sumitur. Logice *Scripturae canon* definitur: *catalogus librorum, qui ut sacri et inspirati Ecclesiae traditi sunt, ac ut tales ab ipsa proponuntur.* Et ipsa *canonicitas* considerata *efficienter*: *Eccle-*

[1]) Vel ex elementari hac canonicitatis expositione liquet quam prorsus erronea et insulsa sit doctrina a nonnullis eruditis nostra aetate tradita, cum statuerunt: „fieri etiam potest ut scriptum aliquod *primitus solis ordinariis humanis viribus* confectum, eo demum ad dignitatem *verbi Dei* elevatum esset, atque *hoc ipso inspiratum evasisset, quod canoni insertum est.*" (cfr. n. 51.) Luce enim clarius est, quod nullus liber efficitur divinitus inspiratus, *quia recipitur in canonem*; sed quod liber refertur in canonem, *quia est divinitus inspiratus, et ut talis Ecclesiae traditus.* Plura apud Emum Franzelin, *l. c.*, Th. IV. p. 371.

siae sententia, quâ liber sacer et inspiratus ut talis authentice declaratur, ac proponitur. — Effective: Qualitas extrinseca libro sacro et inspirato superveniens, quâ ejusdem divinitas et inspiratio manifesta facta est, haud secus ac revelatio cujusvis dogmatis solemniter definiti.

II. Corollaria praecipua: a). Prius est aliquam Scripturam esse *sacram*, quam *canonicam*. b). Potest aliquis liber esse sacer et inspiratus qui non sit canonicus; nequit liber esse canonicus nisi sit sacer et inspiratus. c). Ut noscatur libri inspiratio, sufficit ejus canonicitas.

§. 2.

Divisio librorum habita ratione ad canonicitatem.

91. Sub indicato respectu libri dividuntur in *canonicos* et *apocryphos*, prout in canonem authenticum relati sunt, nec ne. Utrique in duas classes subdistinguuntur, canonici in *proto-* et *deutero*-canonicos; — apocryphi in *positive* et *negative* apocryphos.

92. *Proto*-canonici intelliguntur libri illi, de quorum divina inspiratione inter Christifideles numquam dubitatum est; — *deutero*-canonici autem ii, de quorum divinitate inde a saeculo III. vel IV. a nonnullis catholicis aliquamdiu theoretice dubitatum fuit. (Cfr. n. 21. et infra n. 109.-116.)

93. Libri *Veteris* T. omnes sunt proto-canonici, si excipias:

A). *Septem* libros *integros*, sc. *Tobiae*, *Judith*, *Sapientiae*, *Ecclesiastici*, *Baruch* (cum eidem annexa *epistola Jeremiae*) et duos libros *Machabaeorum*.

B). *Quatuor* librorum *partes*; unam majorem, sc. septem posteriora capita libri *Esther*, nimirum a ℣. 4. cap. X.-XVI.; ac tres partes minores libri *Danielis*, sc. a). cap. III. ℣. 24.-90., ubi refertur oratio Azariae et canticum trium puerorum; b). cap. XIII., historia Susannae; c). cap. XIV., excidium Bel et draconis.

94. Pariter libri *Novi* T. omnes sunt proto-canonici, si iterum excipias:

A). *Septem* libros *integros*, sc. epistolam ad *Hebraeos*, s. *Jacobi*, II^am^ *Petri*, II^am^ et III^am^ *Joannis*, hujusque *Apocalypsin*, et epistolam *Judae*.

B). *Quatuor partes* Evangeliorum, np. a). *Marci* cap. XVI. ℣. 9.-20., ubi refectur Christi redivivi apparitio Mariae Magdalenae, et duobus discipulis euntibus in villam, ac novissime recumbentibus undecim, horumque missio, et Christi in coelum ascensio; — b). *Lucae* XXII. 43. 44. apparitio Angeli, et Christi sudor sanguineus; — c). *Joannis* V. 4., descensus Angeli in probaticam piscinam; — d). cap. VII. a ℣. 53. — VIII. ℣. 11., historia mulieris deprehensae in adulterio; quibus plures addunt celebre comma ex epist. I. *Joannis* cap. V. ℣. 7. *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in coelo: Pater* etc.

95. Vox graeca ἀπόκρυφος etymologice significat *occultum*, seu, *absconditum*. Fundamentum autem distinctionis librorum in *positive* et *negative* apocryphos praebet ipsa hujus vocis acceptio in sensu *strictiori* et *malo*, vel *latiori* et *benigno*. — In sensu enim *strictiore* accipitur pro *spurio*, et *rejiciendo* et *damnando*. Unde libri qui ab Ecclesia certo non divini declarati sunt, praesertim qui ab eadem reprobati et damnati fuerunt, *positive* apocryphi audiunt, ut a fidelibus non pro divinis suscipiendi, vel et ab eorum usu omnino absconditi, remoti tenendi. — In sensu autem *latiori* accipitur pro *simpliciter non canonico* ad oppositionem libri canonici, ita ut liber *negative apocryphus* idem sit ac *non canonicus*, seu, ab Ecclesia ut divinus nec agnitus, nec ut certo non divinus rejectus, adeoque eatenus obscurae auctoritatis, quamvis alioquin bonus sit, et universim fide saltem humanâ non indignus.

96. *Positive* apocryphi quatuor primis Ecclesiae saeculis pene innumeri prodierunt. Horum plerosque haeretici in errorum suorum patrocinium, nonnullos etiam viri orthodoxi per piam fraudem confecerunt sub ementito alicujus Apostoli nomine.

Generatim ne humanam quidem fidem merentur, utpote qui erroribus dogmaticis, vel falsis aut fabulosis narrationibus scatent et incertis traditionibus. Ceu praecipui habentur *Evangelium Jacobi*, et *Evangelium Matthaei*, alias, *de infantia Salvatoris* inscriptum. Plures recenset cl. H. G. Wouters, *H. E. comp.* ep. I. n. 27. et copiose de iis disserunt cl. Ubaldus, vol. II. a p. 469.-85. et Rudolph. Cornely, *Introd. gen.* Dissert. I. cap. IV. a p. 196.-226.

97. *Negative* apocryphi censeri solent Liber III. et IV. Esdrae, et Machabaeorum; oratio Manassis; Psalmus 151us; prologus ad librum Ecclesiastici; praefatiuncula ad lamentationes Jeremiae, et appendices graeci ad librum Job. Hi in sacrorum Bibliorum volumine nonnumquam quidem permissi sunt, sed a libris canonicis distincti, vel ad eorum calcem positi conspiciuntur. Ubaldus, *Ibid.* a p. 444.-68.)

Repetitio §. 2.

Divisio librorum habita ratione ad canonicitatem.

98. I. In canonicos et apocryphos.

II. *Subdivisio.* Canonici sunt vel *proto-* vel *deutero*-canonici, prout de eorum divinitate inter fideles numquam, vel aliquamdiu dubitatum fuit. *Veteris* T. libri omnes proto-canonici sunt, exceptis libris *Tobiae, Judith, Sap., Eccl^{ici}, Baruch, Machabaeorum*, et partibus *Esther* et *Daniel.* — *Novi* T. libri pariter, exceptis epistola ad *Hebr., Jacobi, Judae, II. Petri, II.* et *III. Joannis*, hujusque *Apocalypsi*, et quibusdam partibus evangelii *Marci, Lucae* et *Joannis*, quibus propter similem rationem addi potest ejusdem epistolae I. cap. V. ℣. 7.

Apocryphi (etymologice = occulti, absconditi) sunt vel *positive*, i. e., certo non divini declarati, vel et reprobati, damnatique, ut a fidelium usu abscondendi; vel *negative*, i. e.,

non canonici, ceterum ab Ecclesia nec probati, nec rejecti, quales puta liber III. et IV. Esdrae etc.

Appendix de libris deperditis.

99. In Scripturis utriusque T. mentio fit plurium librorum, qui a plurimis Interpretibus existimantur esse deperditi. Veteris quidem T. a). Prophetia Enoch, septimi ab Adam, laudata ab Apostolo Juda ℣. 14. — b). Liber bellorum Domini (*Num.* XXI. 14). c). Justorum (*Josue* X. 13. II. *Reg.* I. 18). d). Samuelis, Nathan et Gad (I. *Paralip.* XXIX. 29. II. *Paralip.* IX. 29). e). Ahiæ Silonitis, et Addo videntis (II. *Paralip. ibid.* et XIII. 22). f). sermonum dierum regum Juda (III. *Reg.* XIV. 29). g). Salomonis tria millia parabolarum, et carmina quinque et mille; item liber de animalibus et plantis (*Ibid.* IV. 32. 33). h). libri quinque Jasonis Cyrenaei, quos abbreviavit auctor libri II. Machabaeorum (cap. II. 24). — Novi T. epistola b. Pauli a). I. ad *Corinth.* (cfr. V. 9). b). ad *Philip.* (III. 1.); utraque anterior iis quas habemus, et ad *Laodicenses* (cfr. ad *Coloss.* IV. 16.)

100. Inter eruditos non convenit utrum hi libri proprie sacri fuerint. *Alii* negant, censentque vel eos ex recensitis libros, quorum prophetae auctores fuerunt, nihil aliud fuisse quam fastos publicos, sive, ut nunc dicimus, *officiales*, in quibus res apud populum Israëliticum gestae adnotabantur. *Aliis* vero satis apparet, certe illos libros, qui a prophetis conscripti sunt, atque praesertim epistolas, quas b. Paulus scripserit, praeter eas quas habemus, fuisse divinitus inspirata. Cfr. Ubaldus, *l. c.* a p. 438.-44. et Cornely n. 83. 84.

§. 3.

Divisio et summa historica ipsius canonis.

101. *Triplex* plerumque canon distinguitur, sc. Judaeorum, Catholicorum, et haereticorum, tametsi postremi nevix canonem fixum habeant.

I.

De canone Judaeorum.

102. Canon *Judaeorum*, ex communiori et probabiliori sententia, paulo post captivitatem Babylonicam, saeculo V. ante

C. n., ab Esdra, saltem tamquam auctore principali, conditus est, et a prophetis ac primoribus Synagogae illius temporis probatus, non autem eo sensu clausus ac si postea nihil eidem addi potuerit. (cfr. Ubaldus, *l. c.* a p. 128.-197.)

103. Canon Esdrinus continebat dumtaxat libros, quos nunc *proto*-canonicos veteris T. vocamus.

104. Hujus rei ratio *generalis* ex Flavio Josepho est, „quia (post tempora Esdrae) non accurate perspecta erat successio prophetarum." — Ratio autem *specialis* duplex. 1ª. Quod libri *Tobiae*, *Judith*, *Sapientiae*, *Baruch*, et ampliores codices *Danielis* et *Estheris* non nisi post confectum canonem Esdrae detecti sunt. — 2ª. Quod *Ecclticus* et duo *libri Machabaeor.* non nisi post tempora Esdrae conscripti sunt.

105. *Scholion* 1um. Pro certo haberi potest in canone Judaeorum *Palaestinensium* solos, quos nunc dicimus veteris T. proto-canonicos, receptos fuisse.

106. *Scholion* 2um. Probabile est a Judaeis *Alexandrinis* tempore Christi et Apostolorum, etiam *deutero*-canonicos V. T. pro divinitus inspiratis habitos fuisse, atque in eorum canonem relatos, quinimo in versione Septuaginta (de qua cap. IV. a n. 182.) sine ulla prorsus distinctione immixtos fuisse libris in canone Esdrino contentis.

107. *Scholion* 3um. Utcumque de his est, id constat, libros V. T. deutero-canonicos apud Judaeos omnes, etiam Palaestinenses, in magna veneratione fuisse et auctoritate.

II.

De canone Catholicorum.

108. Ex n. 22. satis constat quot, et quos libros cum omnibus eorum partibus complectitur canon catholicus, certè a Concilio Tridentino dogmatice definitus. Similiter ex n. 93. et 94. notum est, quinam eorum proto-canonici sunt, quinam deutero-canonici. Ipsa autem historia, sive, explicatio dogmatis de canone catholico triplici veluti stadio facillime absolvitur, sc. stadio *simplicis fidei* usque ad exitum saeculi III. aut initia IV.; — inde usque ad exitum saeculi V. stadio

theoreticae dubitationis penes quosdam; — inde a decreto Tridentino stadium est *certitudinis dogmaticae absolutae.*

109. *Primum* stadium, ab exordio Ecclesiae usque ad exitum saeculi III., aut initia saeculi IV., recte dicitur stadium *simplicis fidei.* Enimvero ante saeculum III. nulla extat certa memoria alicujus dubitationis, sive, controversiae inter catholicos agitatae de librorum deutero-canonicorum divinitate, et pari cum proto-canonicis auctoritate. Itaque, nullâ adhuc urgente causâ, quaestio de deutero-canonicorum divina inspiratione, atque adeo aequali cum proto-canonicis auctoritate, nondum diligentius pertractari oportuit, nec mota cernitur, sed veritas revelata, omnes utriusque T. libros integros cum omnibus suis partibus, quos habemus in canone Tridentino, tam deutero- quam proto-canonicos esse vere sacros, simpliciter credebatur ab omnibus Christifidelibus, idque magis ex usu et praxi, sive, ex constanti et uniformi traditione Ecclesiae, quàm ex ejusdem theoretica et distincta propositione, seu, praedicatione. Utique libri quidem *veteris* T. *omnes simul* a Christo et Apostolis ut divini Ecclesiae traditi erant. Libri autem *novi* T. manifesto non potuerunt omnes simul Ecclesiae tradi, utpote quos Apostoli et Evangelistae inter annum 32., imo verius, 42. et 96. aerae vulgaris ipsi conscripserunt. Vero namque propiores esse videntur, inquit cl. Cornely, n. 55. p. 148., qui docent ante annum 42. s. Matthaeum, quem plerique Patres primum inter Apostolos scripsisse tradunt, Evangelium suum non conscripsisse.

Certo b. Petrus Ecclesiae Romanae, quae est centrum unitatis et Orbis christiani magistra, tradidit eos novi T. libros, qui jam suo tempore († anno 67°.) extabant. Jam vero extabant omnes, excepta forte epistola b. Judae, quippe quae anno 70. conscripta fertur; et certo exceptis Evangelio, Epistolis et Apocalypsi b. Joannis, quae non nisi viginti annis post prodierunt. Postremos hos novi T. libros primi successores b. Petri, Romani Pontifices, puta Linus, Cletus, Anacletus et Clemens ab Apostolis superstitibus receperunt. Non adeo temere igitur affirmatur, Ecclesiam Romanam jam sub finem saeculi I., ad mortem s. Joannis, integrum canonem apostolicum tam novi quam veteris T. possedisse. Quod autem sensim omnes novi quoque T. libri, etiam ad particulares Ecclesias vel personas dati, jam pro temporum adjunctis satis manifestatâ Traditione divino-apostolicâ, communiter ubique a Christifidelibus ut sacri et divinitus inspirati recepti ac crediti fuerunt, evidenter satis constare videtur vel ex solo memorato eorumdem per universam Ecclesiam usu indubitato usque ad exiens saeculum III.

110. *Secundum* stadium fuit *theoreticae haesitationis, et inquisitionis* de genuinitate et divinitate librorum deutero-canonicorum *penes nonnullos* sub finem *saeculi III. et IV. doctores*, praesertim in Ecclesia Graeca; quae tamen dubitatio ad perseverantem Ecclesiae usum, et accedentia decreta Conciliorum, putà Nicaeni I. an° 325., Africanorum etc.; necnon ad declarationes Romanorum Pontificum Damasi, Innocentii I., Gelasii et aliorum, paulatim exeunte saeculo V. desiit in consensionem moraliter universalem, ita tamen ut etiam media aetate prioris controversiae vestigia remanserint.

111. Speciatim de *novi* T. librorum deutero-canonicorum genuinitate, et divina auctoritate dubitatio et controversia in nonnullis Ecclesiis particularibus coepta est *exeunte saeculo III.*

112. *Causa* exortae dubitationis duplex fuit: a). *raritas citationum expressarum ex epistolis catholicis deutero-canonicis penes vetustos Patres et scriptores ecclesiasticos.* Ratio autem obvia istius raritatis est, quod plures earum, nempe epistolae *II. Petri, II.* et *III. Joannis*, et *Judae* breves sunt, nevix novi quid continent, quinimo iisdem fere sententiis ac alii libri sacri constant. Itaque argumentum *negativum*, quod ex raritate illa adversus illarum genuinitatem et canonicitatem quidam sumpserunt, nullius ponderis est tùm quod propter statim datas rationes vetustis scriptoribus vix occasio fuit has epistolas expresse laudandi, tùm quod eliditur argumentis *positivis*, qualia vg. sunt immemorialis earum inter Scripturas sacras comprehensio in vetustissimis editionibus, atque vetustissimus earumdem usus secundum communem Ecclesiae persuasionem; quinimo praesto sunt ex ss. Patribus testes satis multi, qui ab aetate apostolica ad initium saeculi IV. has epistolas ùt Scripturas sacras in suis lucubrationibus prae oculis habuerunt, uti apparet ex modo, quo ad textus earumdem epistolarum sive manifeste alludunt, sive diserte appellant, ut adeo vel ipsa ista raritas ab adversariis nonnihil exaggerata sit. b). *Abusus haereticorum epistolae ad Hebr., et Apocalypsis s. Joannis.* Sublesta aut falsa interpretatio doctrinae in iis contentae primo ortum dedit minus frequenti earum usui in nonnullis Ecclesiis, et deinde dubitationi de earumdem auctore, ac demum de earumdem auctoritate divina et canonica.

113. De librorum deutero-canonicorum *veteris* T. divinitate et canonicitate certo nonnulli Patres et scriptores ecclesiastici, praesertim Ecclesiae Orientalis, puta s. Athanasius, Gregorius

Nazianzenus, Cyrillus Hierosolymitanus, et in Occidente ipse s. Hieronymus, *saeculo IV.* theoretice dubium movere coeperunt, disputaruntque.

114. In assignanda autem *occasione*, vel *causa*, ex quâ ortum habuerit haec dubitatio eruditi non plane conveniunt [1]). Interim ex sententia satis probabili eruditissimi Card. Franzelin, Origenis (qui anno 253. vel 254. obiit) recensio LXX. Interpretum, ex ejusdem Hexaplis (cfr. n. 180.) seorsim edita, occasionem omnino primam praebuit controversiae de libris, quos nunc deutero-canonicos veteris T. appellamus. Eidem autem occasionem *potissimam* dedit studium Eusebii Caesariensis, qui obiit anno 430., et in operibus Origenis assiduus fuerat, et forte primus libros veteris T. dispertitus est in libros ὁμολογουμένους, i. e., indubitatos, seu, *in confesso apud omnes*, et ἀντιλεγομένους, i. e., *controversos*, quos idcirco supra laudati nonnulli Patres numerarunt *extra canonem*, i. e., extra catalogum *indubitatorum* [2]).

115. *Causa* celebris hujus controversiae potissima fuit privata quorumdam doctorum critica comparatio librorum sacrorum ab Ecclesia Christi ut talium universim admissorum, cum Scripturae libris canonicis Judaeorum, idque propter horum praeposteram contradictionem libris istis, qui in canone Esdrino non reperiebantur.

116. Etiam circa canonicitatem librorum deutero-canonicorum veteris T. relata dubitatio circiter *exeunte saeculo V.* communiter desiit. Anterior autem dubitatio mera tantum dubitatio fuit, eaque solum theoretica. Nullus namque Patrum, scriptorumve ecclesiasticorum umquam ratâ, definitâque sententiâ asseveravit, libros, quos ipsi *extra canonem*, i. e., extra catalogum *indubitatorum* numerabant, verbo: quos nunc dicimus deutero-canonicos, non esse inspiratos, in canonem referri non posse. Quod vel exinde patet, quod ipsi Patres Orientales, s. Athanasius aliique n. 113. laudati, atque ipsemet Hieronymus, sicut ceteri catholici universim, iis tamquam ad Scripturam pertinentibus ex communi Ecclesiae persuasione in suis operibus quavis data opportunitate usi sunt.

Inter canonem igitur Tridentinum dogmaticum, atque adeo completum, et canones deficientes, quos dicti Patres et scrip-

[1]) Hac de re consuli potest cl. Ubaldus, vol. II. a p. 273.-75. et Cornely n. 44., qui mox referendam sententiam Cardinalis Franzelin ita temperandam putat, ut in Origenis Hexaplis quaeramus *exortae* jam controversiae fomentum.

[2]) Primus qui libros sacros appelavit *proto-* et *deutero-*canonicos videtur fuisse *Sixtus Senensis* defunctus an° 1569. Cfr. Card. Franzelin, *l. c.* p. 411.

tores privatim exhibuerunt, non datur *contradictio*, sed *diversitas*, sicut inter *perfectum*, et suo tempore *perficiendum*.

117. Doctores et scriptores pauci, qui inde a saeculo VI. fere usque ad tempora Concilii Tridentini libros deutero-canonicos, vel horum aliquem extra canonem numerare videntur, id uno ex sequentibus quatuor modis fecisse dicendi sunt.

Nempe vel ita, a). ut solum historice referant aliorum opiniones, nominatim aliquot Patrum IV. et V. saeculi.

b). Ut distinguant inter canonem Judaeorum et Ecclesiae [1]).

c). Ut vetustioris alicujus doctoris praesertim Hieronymi sententiâ permoti indicent, ante solemne Concilii Tridentini judicium, non plane omne dubium sublatum fuisse de pari horum librorum cum proto-canonicis auctoritate.

d). Vel denique ùt audaciores, et singularium opinionum sectatores.

118. *Scholion.* ad c). Ratio quare decreta praecedentium Conciliorum ac Pontificum non penitus omnem rei dubitationem omnibus catholicis adimerunt, est quia non, vel saltem non satis patenter erant proposita tamquam decreta *dogmatica*, seu, *definitiva*, ab universa Ecclesia necessario tenenda. Certe hac ratione non sunt accepta decreta Damasi, aliorumque Pontificum. Porro vis istiusmodi synodis Africanis *per se* non inerat, neque earum decreta hac mente ab Apostolica Sede probata sunt. Canon quoque, qui Nicaenus adstruitur, non definitio fidei reputatur, sed simplex expositio doctrinalis, et norma, qua fideles prudenter et tuto dirigi possent in Scripturis legendis. Id suadetur ex eo quod quaestio de canone Scripturarum in Concilio generali I. incidenter tantum tractata fertur, quodque decretum istud per modum praecepti effertur „*ut praeter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur*", et non additur anathema adversus eos qui contrarium senserint, ut fit in canone Tridentino. Demum ne de edito quidem canone in Concilio Nicaeno prorsus certo constat [2]). Porro vel de ipso decreto pro Jacobitis in Concilio Florentino edito disputatum fuit, an sit definitio dogmatica, an solum instructio in praxi servanda. Diversae namque sententiae fuerunt, et inter aliquos etiamnum sunt, an sessiones, nominatimque IV^a^. habita 4. Febr. 1442. in qua decretum „*Cantate Domino*" editum fuit, habitae post Graecorum discessum, vere sint concilio generali adnumerandae. (Cfr. *H. E. Comp.* ep. IX. n. 21.)

[1]) Ita ipse s. Thomas, *Summa Theol. Part.* I. Q. LXXXIX. art. VIII. ad 2um, circa *Ecclesiasticum.* cfr. Cornely p. 129.

[2]) Cfr. Ill. Malou, *La Lect. de la Ste Bible en langue vulgaire*, T. II. a p. 114-120.; Ubaldus, vol. II. p. 241.; Cornely n. 40. a p. 81.-84. et n. 45. p. 111.

III.

De canone acatholicorum, nominatim Protestantium.

119. In statuendo canone Protestantes eum secuti sunt morem, quem de Manichaeis disserens presse descripsit s. Augustinus: „*Scripturas sic accipiunt, ut suo quodam privilegio, imo sacrilegio, quod volunt, sumant; quod nolunt rejiciant.*" Enimvero hac in re non modo ab Ecclesia catholica, sed etiam inter se valde dissentiunt.

120. Speciatim 1°. *Luther* libros deutero-canonicos veteris T. omnes ex canone suo expunxit, et ex libris novi T. rejecit epistolas ad *Hebr.*, *Jacobi*, *Judae*, et *Apocalypsin*. — *Calvinus* autem hos aliosque deutero-canonicos novi T. retinuit, sed veteris T. pariter repulit.

2°. Subsequentes Protestantes, comprehensis ipsis Lutheranis, generatim placito Calvini adhaerentes, solos deutero-canonicos veteris T. e suo canone excludebant, simul autem fatebantur, etiam hos esse bonos et lectu utiles. Quare in suis editionibus V. T. eos usque ad annum 1826. communi consensu [1]) retinuerunt plerumque sub nomine „apocryphorum", et ad calcem aliorum librorum, quos simpliciter canonicos appellant. Documento sunt v. g. ipsa versio Bibliorum a Luthero germanice exarata; articulus VI. *Confessionis* Dordrechtanae anni 1619., et Confessio Ecclesiae Anglicanae Episcopalis.

3°. Exorto Rationalismo biblico, sectae variae, et Protestantes individui in dies magis magisque in diversas sententias abierunt, atque adeo inter se pugnarunt, ut vix ullus sit liber vel proto-canonicus, quem non repudiaverint, vel saltem in dubium revocaverint aliqui. Nec mirum. Namque sic dicti *Moderni* principio tenus ipsum discrimen proprium et capitale inter libros *canonicos* et *non canonicos* prorsus rejiciunt, et solum criticis Bibliorum studiis instant (cfr. n. 47. sub a).

[1]) At vero inde maxime ab an° 1825. acriter disceptarunt, utrum per societates Biblicas „apocryphi" una cum ceteris divulgandi essent, nec ne,

Atque vel ipsi *Orthodoxi* evidenter nullum efficax remedium malo afferre queunt. Nam et ipsi destituuntur medio authentico, quo libri canonici ab apocryphis infallibiter discernantur, atque controversiae hac de re exortae dirimantur. (cfr. n. 14.-16.; cl. Cornely n. 54. et 72.)

Repetitio §. 3.

Divisio, et summa historica ipsius canonis.

121. I. Triplex distingui solet canon 1°. Judaeorum, 2°. Catholicorum, 3°. improprie, haereticorum.

II. Canon *Judaeorum* primum conditus perhibetur ab Esdra. *Quando?* — Complectebatur solos, quos nunc dicimus libros proto-canonicos. V. T. *Quare?* — Ratio *generalis* est „non accurate perspecta successio prophetarum" (Jos. Flav.) — *Specialis*, post *detecti* libri *Tobiae*, *Judith*, *Sapt*^{iae}, *Baruch*, et ampliores codices *Dan. et Esther*; postea *scripti*, *Eccl*^{ticus} et libri *Machab.*

III. Canon *Catholicus* continet 72 libros in decreto Trid. recensitos. In illius historia triplex stadium distingui potest: 1um. ab incunabilis Ecclesiae usque ad saec. III. labens, et iniens saecul. IV., est stadium *simplicis fidei.* — *Quo temporis spatio scripti existimantur libri N. T.?* — *Quandonam omnes Scripturae libri Ecclesiae Romanae traditi*; item *a fidelibus communiter recepti reputantur?*

2um. Est stadium *theoreticae haesitationis* et *inquisitionis*, quod de libris deutero-canonicis *N. T.* ortum labente saec. III., ex raritate citationum expressarum ex epistolis *catholicis*, et ex abusu haereticorum epistolae ad *Hebr.* et *Apocalypseos.* — Claudicat argumentum *negativum* ex raritate praefata petitum, quia obviae rationes prostant quare raro citatae fuerint illae epistolae, puta .....; atque eliditur *positivis* argumentis, utputa ..... — Dubitatio de libris deutero-canonicis V. T. orta ineunte saeculo IV., praecipue in Oriente viguit; *occa-*

sio prima videtur fuisse versio LXX. per Origenem, *potissima* studium Eusebii. *Causa* critica comparatio canonis Ecclesiae cum canone Judaeorum. Desiit communiter exeunte saeculo V. Nullus Pater ratâ sententiâ negavit eos esse inspiratos, quinimo vel qui eos extra canonem indubitatorum recensuerunt, ipsi ut ceteri, data opportunitate, iis usi sunt. Quatuor modis explicatur quod quidam media aetate eos extra canonem numerant, sc. vel historice, vel polemice comparate ad canonem Judaeorum, vel quod res adhuc dogmatice non definita, vel denique temerius.

IV. Acatholici fixum canonem vix habent. Quod volunt, sumunt, quod nolunt, rejiciunt. *Ratio*, rejectio traditionis divinae et auctoritatis infallibilis. Speciatim Luther, item Calvinus rejecit omnes deutero-canonicos V. T., — ille insuper epistolam ad *Hebr.*, *Jacobi*, *Judae*, et *Apocalyps.* — Subsequentes Protestantes universim adstipulati sunt sententiae Calvini, usque ad exortum Rationalismum biblicum, quo non solum de deutero- sed vel de singulis pene proto-canonicis dubium motum ab individuis. Ceterum ipse Lutherus, et patres Dordrechtenses V. T. libros „apocryphos" habebant bonos et lectu utiles. At vero, inde ab an° 1826., inter societates biblicas etiam hac de re disputatum.

Nota. Veteres, ut se vocant, *catholici*, in Congressu *Bonnensi* 15. Sept. 1874. doctrinam synodi nationalis Dordrechtanae instaurasse feruntur.

§. 4.

Decreti Tridentini „de canonicis Scripturis" partes, falsae interpretationes, et genuini sensûs tuitio.

I.

Decreti Tridentini partes.

122. Tridentinum „decretum de canonicis Scripturis", quod nuper Concilium Vaticanum sess. III. *De Revelat.* cap.

II. et can. IV. confirmavit, doctore Card. Franzelin quatuor sequentibus constat partibus.

Postquam Synodus praevie declaravit scopum suum *generalem* etiam *polemicum*, qui fuit damnare errores Novatorum, inquiens: „hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, *ut*, *sublatis erroribus*, puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur", in 1ª parte docet, duplex esse institutum divinum, quo omnis salutaris veritas et morum disciplina revelata ad nos usque pervenit, sc., sacram *Scripturam* tam V. quam N. T., quum utriusque unus Deus sit auctor, necnon *Traditionem* divino-apostolicam, quam Synodus pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur ac ipsam Scripturam. Lege ipsa decreti verba: „*Sacrosancta — veneratur.*"

In 2ª. sacrorum librorum indicem exhibet, hujusque finem, sc. „ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur." „*Sacrorum vero — et apocalypsis Joannis apostoli.*"

In 3ª. sub comminatione anathematis definit, libros recensitos „integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis" esse a quovis suscipiendos, atque tradit normam, secundum quam ipsa Synodus intellexit, et omnes fideles intelligere debent integritatem et partes librorum canonicorum, quos recensuit. Norma illa, ut ex verbis allatis liquet, duplex est: consuetudo lectionis publicae in Ecclesia Catholica, *et* comprehensio in veteri Vulgata latina editione. „*Si quis autem — anathema sit.*"

In 4ª. declarat speciatim dogmaticum scopum sui decreti directum et proximum hunc esse, ut „omnes intelligant, quo ordine et via, ipsa Synodus, post jactum fidei confessionis fundamentum, sit progressura, ET *quibus potissimum testimoniis ac praesidiis, in confirmandis dogmatibus, et instaurandis in Ecclesia moribus sit usura.*"

II.

Decreti recitati interpretationes falsae.

123. Circa verum *sensum* decreti Tridentini „de canonicis Scripturis" e Catholicis forte erravit Bernardus Lamy, Oratorii Gallicani presbyter († 1715.), et Dr Marianus Dobmayr († 1805), utpote qui, teste cl. H. Hurter *Theol. Gener.* ad n. 184., scripsit: „sunt Theologi *probe* catholici, qui discrimen inter libros proto- et deutero-canonicos *hodiedum* valere teneant"; certo autem Dr Joannes Jahn docens, post Tridentinum decretum admitti posse discrimen *intrinsecum*, sive, diversum gradum auctoritatis inter libros proto- et deutero-canonicos.

124. Quod ad *extensionem* recitati decreti attinet, sive, quaestionem: *Quid nomine* PARTIUM *vi decreti Tridentini intelligendum sit?* imprimis certo erronea est opinio, quam Sixtus Senensis († 1569.) emisit in praeclara sua „*Bibliotheca Sancta*", lib. I. sect. III. Ibi namque prorsus nova distinctione inventa contendit, quod „canon ille intelligendus (sit) *de veris ac germanis partibus*, quae ad librorum integritatem spectant, non autem *de laceris quibusdam appendicibus et pannosis additamentis* a quovis incognito auctore temere appositis et utcumque insutis *qualia sunt* ... ultima capitula" *Estheris*, quae idcirco excludit e numero partium, quas sub anathematis interminatione decretum Tridentinum recipi jubet, eaque inter apocrypha rejicit. — Nihil est cur hujus opinionis falsitatem insequenti puncto data opera ostendamus. Hìc cum cl. Cornely n. 53. animadvertere sufficiat: „Quantopere a genuino decreti sensu explicatio haec Sixti abhorreat non minus perspicuum est, quam eadem distinctione innumeras alias partes, quae nusquam in controversiam vocatae sunt, spurias et a canone alienas declarari posse. Directe quidem et proxime Patres Tridentini ... pericopas quasdem controversas *Evangeliorum* tueri voluerunt; at terminus ab illis adhibitus ita est electus,

ut simul deutero-canonica V. T. additamenta comprehendat. Illa enim in Ecclesia catholica legi consuevisse atque in veteri vulgata latina editione haberi constat; quamprimum autem duplex haec conditio a Patribus Tridentinis stabilita in parte aliqua verificatur, jam non amplius licet eam *non veram ac germanam* dicere, etsi aliqui ante Concilii definitionem de ea dubitaverint." Ceterum, ut reor, Sixtus hac in re non tam pravo intellectu decreti Tridentini, quam animo praejudicato in additamenta Estheris laboravit, peccavitque.

125. Circa quaestionem positam, extensionem, inquam, decreti, veteres nonnulli Theologi *justo rigidiorem* opinionem amplexi *videntur*; recentes autem quidam eruditi, nominatimque cl. Carol. Vercellone, sodalis Barnabites, *justo laxiorem.*

126. Rigidior veterum nonnullorum opinio, quantum *h. l.* satis est, expediri breviter potest. Nomine *partium* in decreto Tridentino contendebant intelligenda esse non solum quae per se spectant fidem aut mores (qua de re, teste Billuart, *Curs. Theol.*, Tract. de fide et regulis fidei, Diss. I. art. VI., veteres omnes conveniunt), sed insuper res omnes et singulas non per se revelatas, verbo: etiam minutiora quaeque; quinimo quidam decretum extendendum censebant ad ipsa verba et voculas, ad nomina personarum, locorum, plantarum, et similia, prout in Vulgata habentur. Eorum sententiam merito dici justo rigidiorem, satis jam Billuart *l. c.* evincit, cum communiori veterum sententiâ respondens ad rationes, quas nonnulli eorum in suae acceptionis probationem proferebant; sed vel expressius idipsum ostendunt alii, utputa cl. J. de Azevedo, ubi ait: „Debemus dicere Concilium nequaquam voluisse quaelibet etiam minima, quae in Vulgata leguntur, approbare. Nec obstat quod Concilium approbaverit omnes sacros *libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Vulgata habentur*, quod objiciunt immoderati nostri Vulgatae patroni; nam haec verba, quibus Concilium voluit coercere Novatorum licentiam, qui non omnes sacros libros, qui

in Vulgata continentur, neque omnes ipsorum partes ut canonicam Scripturam suscipiebant, neque hodie etiam suscipiunt, apposite ad hunc Concilii scopum sunt accipienda; ita scilicet, quasi voluerit Concilium cogere Christianos omnes ad suscipiendos tamquam Scripturam sacram omnes libros, qui in Vulgata continentur, *cum omnibus ipsorum capitibus et singulis partibus notabilibus et substantialibus*; de his enim erat inter catholicos et haereticos controversia, *sive haec sint dogmatica, sive moralia, sive prophetica, sive historica* (verbo dixerim: quae per se revelata continent; talia certo sunt etiam „historica"; aliud interdum est de adjunctis historicis praesertim infimis); non autem quasi voluerit canonizare singulas voces, et minima quaelibet quae magis particulae quam partes dici possunt, super quibus litem non movebant haeretici." (Ita ille apud cl. Th. Jos. Lamy, *Intr. gen.*, ed. 2ª, p. 170.) Concinit cl. Cornely n. 174., p. 452. dicens: „Immerito... supponitur *partium* nomine intelligi particulas quascumque, quae per se fidem non attingunt, aut singula vocabula. Ex decreti historia... constat, Tridentinos Patres proxime et directe *illas Evangeliorum pericopas* tueri voluisse, quae illo tempore a nonnullis (etiam catholicis) impugnabantur, indirecte autem reliquas quoque deutero-canonicas aliasque omnes U. T. partes defendisse, quae ad substantialem librorum sacrorum integritatem pertinent. Quare omnino quidem tenendum censemus, omnes textus, qui per se fidem ac morum regulam attingunt, definitione hac contineri, si eos *in Ecclesia catholica legi consuevisse et in veteri Vulgata latina haberi* constat; de reliquis autem, qui per se fidem et mores non attingunt, nihil his verbis statui arbitramur." Specialia argumenta, quibus evincatur judicato huic tutissime stari posse, dabimus, ubi de authentia Vulgatae de industria dicemus, infra cap. IV.

127. „Ex adverso nostris temporibus sensus Tridentini decreti in significationem, ut nobis quidem *videtur* — verba sunt Em. Cardinalis Franzelin p. 531. — *justo laxiorem* a qui-

busdam viris eruditis explicatur." Etenim ita Cardinalis rem declarat p. 538., „solent quidam [1]) extensionem declarationis Concilii restringere affirmantes, nomine *partium* fuisse a Tridentinis Patribus intellectas partes deutero-canonicas libri Danielis et Esther, de quibus cum Protestantibus erat controversia. Hinc (ex eo scilicet quod veluti unice attenderint scopum *polemicum* adversus Protestantes) putant, utrum e. g. partes Evangeliorum jam antiquitus a quibusdam etiam Patribus notatae velut deficientes in codicibus sive pluribus sive paucioribus, et a recentioribus nonnullis criticis Protestantibus omnino repudiatae [2]), habendae sint genuinae et canonicae, nondum *vi decreti Tridentini* certum esse; sed si id constare debeat auctoritate Ecclesiae, aliam ejus declarationem esse expectandam; quae donec edatur, causam integram criticis rationibus commissam manere. Si quis ergo nixus argumentis criticis ea loca rejiceret, non ideo quidquam contra decretum Tridentinum agere censendus esset."

128. *Scholion.* Nemo, quod sciam, de recentioribus probatis auctoribus inficias ivit, sententiam relatam esse justo laxiorem, imo falsam quatenus nomine *partium* solas partes deutero-canonicas Danielis et Esther intellectas docet, et probabile esse authenticitatem partium Evangeliorum nondum esse ab Ecclesia definitam. Quandoquidem ipsas *partes Evangeliorum* proxime et directe quidem Patres Tridentinos intendisse constat, uti et eas „in Ecclesia catholica legi consuevisse et in Vulgata haberi" (cfr. Cornely n. 118. p. 317. nota 6.) Haec autem de celebri commate, quod *Joanneum* vocant, nondum constare, sed de eo etiamnum libere, et utrimque tam critice quam theologice probabiliter disputari posse, innuere videtur cl. Cornely, ubi n. 176. p. 456. scribit: „Neque decreto suo Tridentini Patres textus dogmaticos illos, qui jam antea erant *critice* dubii, autographis conformes declarare illisque majorem, quam eo usque habuerunt, auctoritatem attribuere voluerunt." Non temere me conjicere, hanc esse cl. auctoris

[1]) Nominatim cl. Vercellone, in *Dissert. academica*, quae translata refertur in *Rev. Cath.*, Nov. p. 647., Déc. 1866., Janv. 1867. p. 13.

[2]) Partes istae sunt, quas n. 94. significavimus, et ad quas cum praeclaris Theologis, puta Billuart et Franzelin, retulimus I. *Joan.* V. 7.

mentem ex eo infero quod, postquam assertum suum rationibus firmare adnisus est, illud speciatim applicat capitis XV. versui 51. epist. I. ad *Cor.*, cui n. 118. p. 317. adnumerarat *l. c.* I. *Joan.* V. 7.; tanto magis quod addit, hujus „versus omissione substantiam Scripturae non attingi, quum dogma illud, quod latini theologi juniores ex eo deducunt, aliis multis in locis clarius et certius contineatur." Ex eo denique quod n. 174. p. 452. scribit: „Usus Ecclesiae catholicae constans (*in Ecclesia catholica legi consuevisse*) tempore et spatio latius patet, quam lectio Vulgatae (*in veteri Vulgata haberi*); nec videtur esse dubium, quin Concilium in quaestione de Scripturarum canone, quae sola traditione definiri potuit, nec continuum ecclesiarum orientalium, quae Vulgatam ignorant, nec sex priorum saeculorum Ecclesiae occidentalis, quae a saec. 7. tandem Vulgatam in usum communem recepit, testimonium negligere nequiverit." Horum plura utique hyperbolica apparent. Ceterùm, quâ per Ecclesiam licet, „*unusquisque in suo sensu abundet.*"

III.

Tuitio genuini sensûs decreti Tridentini de canonicis Scripturis.

129. Imprimis adversus D^rem^ Jahn c. s. (cfr. n. 123.) genuinus laudati decreti sensus est: Recensitos in canone Tridentino libros omnes tam deutero- quam proto-canonicos, sine discrimine sacros esse, ejusdemque auctoritatis divinae.

130. Sensus iste adversus eosdem, habita ratione totius contextûs decreti, solide probatur vel ex singula decreti Tridentini parte; confirmatur autem ex ejusdem Concilii historia, necnon firmissime stabilitur ex ejusdem decreti authenticâ declaratione per Concilium Vaticanum.

131. *Prob.* 1^a^ *pars*, 1°. *ex decreti prooemio*, in quo legitur: „Sacrosancta Tridentina Synodus ... orthodoxorum Patrum exempla secuta, *omnes* libros *tam* Veteris, *quam* Novi Testamenti, QUUM *utriusque unus Deus sit auctor*, ... suscipit, et veneratur." Enimvero particula „*omnes*" hìc in sensu suo obvio quantum ad materiem attinet, de qua decretum agit, complete universalis est, omnemque exceptionem excludit. Porro

particula comparativa: *tam—quam* paritatem, imo aequalitatem omnium utriusque Testamenti librorum manifeste enunciat. Denique, et maxime quidem, addita *ratio*, propter quam ss. Synodus omnes libros utriusque Testamenti suscipit, et veneratur, liquido evincit, Patres Tridentinos tam deutero- quam proto-canonicos sine discrimine suscepisse et veneratos esse ut sacros et inspiratos, proindeque ut prorsus ejusdem auctoritatis divinae. Quandoquidem rationem illam exprimunt per ipsam formulam ab antiquo in Ecclesia usitatam ad declarandos libros sacros et inspiratos, „*quum utriusque* T. unus *Deus sit auctor.*" Ergo etc. Si quis autem negaverit *consequentiam* intentam, eo quod vel probe catholici viri ex antiquâ illâ formulâ rem hanc non ceu dogmaticè definitam, imo ne ut certam quidem habuerint, respondetur: *Distinguo antecedens:* 1°. non *ut certa* tenebatur a quibusdam, *concedo*; communiter, seu, a longe pluribus, nedicam, a plerisque omnibus, *nego.*— 2°. Non ut *dogmatice definita* per *anteriora* decreta Conciliorum et R. Pontificum, *conc.*, vel potius *transeat* (secundum dicta n. 118.); ceterum *nego* paritatem, adeoque ipsam adversariorum *consequentiam*; etenim certo Synodus Tridentina de canonicis Scripturis DOGMATICUM decretum edidit. Ergo vel ex prooemio decreti constat, internum discrimen inter deutero- et proto-canonicos hodiedum non valere.

132. *Prob.* 2°. *Ex ipso canone Tridentino.* Etenim ss. Synodus „*sacrorum* librorum indicem huic suo decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infrascripti", jam n. 22. recensiti. Atqui in illo indice libri deutero-canonici utriusque Testamenti intermiscentur proto-canonicis secundum ordinem materiae vel temporis non solum *sine ulla distinctione dignitatis, auctoritatisve*, sed omnes expresse ut *sacri*, adeoque et ejusdem prorsus auctoritatis divinae, quia Deum habent auctorem principem.

133. *Prob.* 3°. *Ex ipsa definitione dogmatica*, quae indicem subsequitur, sonatque: „*Si quis autem . . . . , anathema sit.*" Itaque ipsi statim recensiti libri integri cum omnibus suis partibus, tam deutero- quam proto-canonici, *prout* in Ecclesia catholica legi consueverunt, *et* in veteri vulgata latina editione habentur, sine ullo discrimine pro VERE ET PROPRIE *sacris et canonicis*, sub poena anathematis, ut palam omnes ejusdem auctoritatis divinae, ut verbum Dei a sua origine Spiritu Sancto inspirante conscriptum, suscipiendi sunt, imo potissimùm quidem deutero-canonici, utpote quorum divinitatem et inspirationem testari, ac declarare Synodi praeceteris intererat.

134. *Prob.* 4°. *Ex decreti scopo* proximo et principali, qui fuit „ut omnes intelligant quibus potissimum testimoniis ac

praesidiis, *in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus*, ipsa Synodus sit usura." Liquido igitur ex mente Patrum Tridentinorum testimonia deprompta ex libris et partibus tam deutero- quam proto-canonicis ex sese aeque valent ad confirmandas res fidei et morum, ac proin illi non inferioris, sed ejusdem prorsus habendi sunt auctoritatis divinae ac proto-canonici. Quod erat demonstrandum.

Quamcumque igitur laudati Tridentini decreti partem consideres, evidenter oppido falsa est interpretatio illorum qui docuerunt, etiam post Concilium Tridentinum admitti posse discrimen *intrinsecum* inter libros deutero- et proto-canonicos ita, ut deutero-canonici sint inferioris auctoritatis.

135. *Prob. pars 2a.* Nostra decreti interpretatio vera esse confirmatur *ex historia* Concilii Tridentini, non solum prout hanc Card. Pallavicini (lib. VI. cap XI. n. 4), sed et ipse Sarpius refert. Verba Sarpii haec sunt. „De contexendi librorum s. Scripturae catalogi formâ tres distinctae erant theologorum opiniones; una singulorum librorum mentionem non esse faciendam; altera catalogum in tres series (sc. ab omnibus receptorum, addubitatorum, apocryphorum) distinguendum; tertia in *eodem omnes* catalogo, *quippe qui eadem essent auctoritate*, ponendos. Mandatum igitur est, ut tres schedulae conficerentur et in sequentem congregationem singuli diligenter perpenderent, quae e tribus accipienda esset... Die 15 Martii tribus formulis, quas modo diximus, propositis, unaquaeque suos habuit propugnatores, *tertia tamen a pluribus approbata*", atque sola dein acceptata est, ut patet ex decreto, quod hodie habemus. (cfr. Cornely p 139.) Itaque ad hos auctores audacter provocans Dr Jahn etiam Tridentini decreti historiam pervertit.

136. Denique quem genuinum decreti Tridentini sensum probavimus, Pius IX, sacro approbante Concilio Vaticano, authentice declaravit, *l. c.* cap. II. dicens: „Eos vero (nempe, veteris et novi Testamenti libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Tridentini Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur) *Ecclesia pro sacris et canonicis habet... propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, ac ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt*" Et can. 4. „Si quis *sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus*, PROUT *illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos* DIVINITUS INSPIRATOS *esse negaverit*; anathema sit." Ergo fide divina certum, atque credendum est, omnes Scripturae libros ejusdem esse auctoritatis divinae, adeoque nullum admitti posse internum inter deutero-et proto canonicos discrimen, quod proin et numquam vere substitit.

137. Adversus sensum restrictum, quem recentes nonnulli Catholici eruditi parti 3ae decreti Tridentini affinxerunt, genuinus sensus imprimis certo is est, quod iidem libri integri cum omnibus suis partibus, qui eo decreto *explicite* sacri et canonici definiuntur, hoc ipso quod determinantur *in concreto*, sc., *prout* in Ecclesia catholica legi consueverunt, *et* in veteri vulgata latina editione tempore Concilii habebantur, simul *implicite* declarati fuerunt genuini, seu, authentici, h. e. hìc, saltem in gradu simplici *conformes* cum libris Scripturae originalibus (cfr. n. 43. et 45.) Porro ex communi intellectu veterum (cfr. n. 126.), ac, *ut videtur*, ex ipsa decreti clausula, quae profecto decreti recitati pars integralis est, imo presse indicare *videtur* scopum formulae dogmaticae hunc esse, ut salvis, suppositisque in casu particulari duabus conditionibus in ipsa formula dogmatica expressis, omnes *et singulae* partes per se dogmaticae vi decreti agnoscendae sint ét canonicae, ét adeo saltem simpliciter authenticae; ceterae autem, scilicet, non per se dogmaticae, quoad substantiam, i. e., non singulae, sed omnes istiusmodi, quae, si abessent, liber jam non integer, sed mutilus haberetur.

Bis dixi: *videtur*; quia non desunt, qui praefatae clausulae expositam vim denegent, opinenturque nomine *partium*, indiscriminatim eas intelligendas esse, quae libros constituant moraliter integros, sive jam partes illae per se doctrinales sint, sive non. Quantum equidem sapio, hujus sententiae patroni contendentes, memoratam clausulam non esse partem decreti, sed tantum notam, qua monemur, Concilium deinceps s. Scriptura, *prout* in veteri vulgata extat, esse usurum, vim istius clausulae non integram referunt. Ni enim fallar, clausula ista *duo* enunciat apprime inter se discernenda. Primum illud est quod adversarii ceu unicum afferunt: „quo ordine et via, ipsa Synodus, post jactum fidei confessionis fundamentum, sit progressura", „*et* — en alterum — quibus potissimum testimoniis ac praesidiis, in confirmandis dogma-

tibus, et instaurandis in Ecclesia moribus sit usura."

138. Secundum traditam cum Cardinali Franzelin decreti explicationem, principium, cui innixi Patres Tridentini ediderunt praefatum judicium *explicitum* de canonicitate recensitorum librorum integrorum cum omnibus suis partibus, et *implicitum* de eorumdem authentia conformitatis cum libris Scripturae originalibus, patenter est, quod Spiritus Sanctus, jugiter assistens Ecclesiae, non potuit permittere, ut universa Ecclesia per tot saecula usu publico et constanti susceperit, ac fidelibus tamquam Scripturam sacram et canonicam in Vulgata proposuerit aliquam libri partem per se ad res fidei vel mores pertinentem, quae tamen re ipsa esset simpliciter difformis a textu primitivo inspirato, ac proinde non sub inspiratione Spiritus Sancti, sed humana solum ope conscripta; aliis verbis, quae non Dei auctoris, sed humani ac fallacis interpretis verbum foret.

139. His habitis, facile refellitur restricta interpretatio superius n. 127. descripta. Merito enim ea interpretatio justo laxior, imo falsa dicitur, quae adversatur historiae, principio theologico, et ipsis verbis et scopo decreti. Atqui. Ergo.

140. *Minor* singillatim probatur. Sensus restrictus, quo neoterici decretum intellexerunt, adversatur 1°. *historiae*. Controversiae namque a Protestantibus inductae de partibus sacrorum librorum non erant de *solis* partibus *Esther* et *Danielis*, sed nominatim, imo proxime et directe quidem de partibus deutero-canonicis *Evangeliorum*, sed simul de versu 7°. epistolae s. Joannis, quippe quem Luther in publica disputatione anno 1522. impugnavit, et in sua versione germanica Bibliorum eliminavit; quod sane Patribus Tridentinis probe notum erat. Plane ipsis „ex actis Concilii Tridentini constat, Patres per illa decreti verba: *cum omnibus suis partibus*, ante omnia intendisse *fragmenta*, seu, *particulas Evangeliorum*, et voluisse septemdecim Patres eas in decreto specificari, triginta autem quatuor censuisse ab enumeratione abstinendum" [1]). Dato igitur non concesso, quod vis et extensio decreti Tridentini

[1]) Ita apud cl. Jos. Cornely, S. J., *Comment. in Evang. s. Joan.*, ed. lae. p. 194. ed. alterae p. 207., remissive ad *Acta C. Trid.* nuper edita ab Aug. Theiner, T. I. p. 71.-77.; 84. 85.; item apud Cornely, locis supra cit.

unice aut praeceteris metienda sit ex scopo *polemico* Concilii adversus Protestantes, imprimis ex ipsius Concilii historia evincitur certo fragmenta deutero-canonica *Evangelorium* comprehensa esse laudatis verbis decreti: „Si quis autem libros istos integros *cum omnibus suis partibus*, *prout*" etc. atque etiam v. 7um. Joannis iisdem comprehendi saltem suadet veridica illius temporis historia.

141. Adversatur 2°. *principio* evidenti, quod maxime hac in re tenendum, et sequentis est tenoris: Quod error contra veritatem particularem praebuerit occasionem definitioni universaliori, non ideo fas est propositionem universaliorem definitionis restringere ad solam damnationem illius erroris particularis. Ergo, etiamsi historice concedi posset, negationem partium *Esther* et *Danielis* fuisse occasionem, vel et rationem, quâ Concilii Tridentini Patres permoti sint ad edendum dogmaticum decretum de canonicis Scripturis, tamen admitti non posset sensus ille restrictus, quem praesenti decreto neoterici nostri affinxerunt. Quandoquidem necessario in definitione illa universaliore proxime et potissimum quidem ille error particularis damnatus intelligendus foret, sed non ille solus, ast vel vi logicâ omnes alii ejusdem speciei, certe jam exorti, imo et in posterum exorituri, utpote decreto universali jam praeoccupati. Itaque *si quis dicat*: Concilium non intendebat anathemate percellere nisi solos haereticos. *Respondeo* . . . haereticos eos dumtaxat qui *tunc* erant, *Nego*. — Qui tunc vel in posterum ejusdem speciei errores tenere praesumerent, *Conc.* — Ita ex sess. VII. *De Sacrament. in Gen.* can. I. anathema incurreret qui diceret *baptismum* non esse vere et proprie sacramentum, quod tamen Protestantes non negabant; et ex praesenti decreto anathema incurreret qui v. g. librum *Judicum* non susciperet ut canonicum, quamquam Protestantes hunc non rejiciebant.

142. Adversatur 3°. *verbis decreti*. Enumeratis enim omnibus libris utriusque T., de *iis omnibus* Concilium edicit: „Si quis autem libros *ipsos* integros cum OMNIBUS *suis partibus*, *prout* in Ecclesia catholica legi consueverunt, *et* in veteri vulgata latina editione habentur, *pro sacris et canonicis* non susceperit; anathema sit." Ergo clare *vi decreti* librorum *omnium* recensitorum *omnes partes*, quae ex decreti tenore et contextu *partes libri* dici possunt, *prout* in Ecclesia catholica legi consueverunt, *et* in veteri vulgata latina editione habentur, *explicite* declaratae sunt canonicae, et *implicite* saltem simpliciter authenticae.

143. Adversatur 4°. *scopo decreti*. Hic enim ex toto decreti contextu, non erat *unicus* canonicas declarare partes, quas tum

temporis Protestantes rejiciebant, sed imo directus et principalis Concilii scopus erat, libros enumeratos integros cum *omnibus suis partibus pro sacris* et canonicis suscipiendos Christifidelibus sistere et exhibere *in concreto*, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in vulgata latina editione habebantur, eum in finem ad quem ipsa Synodus ex eadem hac editione testimoniis divinis usura erat ad confirmanda dogmata, et instaurandos in Ecclesia mores

144. Ergo 1°. *vi ipsius decreti Tridentini* certum est, non solum partes deutero-canonicas *Esther* et *Danielis*, sed et *Evangeliorum*, et, ut videtur, etiam celebrem illam partem *epistolae s. Joannis* de testibus in coelo, imo omnes tam V. quam N. T. partes deutero-canonicas per se dogmaticas, vere canonicas esse habendas, et saltem dicto sensu authenticas.

145. Ergo 2°. de canonicitate, et authentia conformitatis partium deutero-canonicarum per se dogmaticarum, *auctoritate Ecclesiae* jam pridem constat, et nequaquam causa haec integra *criticis rationibus* commissa manet. Verum enim vero de industriâ Concilium ipso suo decreto excludere voluit quod Scripturarum canonicitas, atque adeo authentia conformitatis, in locis controversis permitteretur singulorum doctorum examini critico. Idcirco enim Synodus tam significanter ipsa normam statuit, secundum quam omnes Christifideles judicare debent de canonicitate et authentia librorum Scripturae integrorum cum omnibus suis partibus. Quae norma non est examen *criticum*, sed consuetudo publicae lectionis in Ecclesia catholica *et* comprehensio in veteri et Vulgata latina editione. Sensus decreti proin, ut ait Em^us^ Franzelin, non sine manifesta absurditate is dici potest, ut *vi illius decreti*, praeter partes Esther et Danielis, crederentur canonicae esse illae sive V. sive N. T. partes deutero-canonicae, quarum genuinitatem *examen criticum* demonstrare posset. Ex hac enim interpretatione dicendum foret illud ipsum a Concilio oecumenico sancitum, quod data opera exclusum voluit. Proin si quis partes etiam N. T. deutero-canonicas per se dogmaticas criticis argumentis innixus rejiceret, ideo omnino quid contra laudatum *decretum* Tridentinum agere judicandus esset.

146. *Corollaria*. 1um. Ex dictis sponte sua docemur quae sit habitudo fidem inter et artem, vel si mavis, scientiam criticam. Quum certe nulli Catholico dubium esse queat, quin ex assistentia Spiritus Sancti Ecclesia sit infallibilis in declarandis rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, summo jure adstruimus, sicut alias scientias humanas, ita etiam biblicam scientiam criticam subesse doctrinae Ecclesiae, atque adeo oportere, ut scientia critica doc-

trinam Ecclesiae velut normam saltem *negativam*, i. e., cui adversari nefas est, et velut stellam rectricem ad praecavendos errores semper ante oculos positam habeat

Corollarium 2um. Textus qui ex norma Tridentina canonicus et authenticus demonstratur, non potest *critice* evinci spurius, mere humanus. Veritati enim fide certae veritas ratione, seu, scientiâ vere comperta contradicere nequit. Proin examen criticum quod fallax non sit, *numquam demonstrabit* in veteri Vulgata latina editione, ut longo saeculorum usu in Ecclesia catholica legi consuevit, *re ipsa reperiri* aliquem textum *per se dogmaticum* revera humanum, sive, istiusmodi qui transmutet ipsam substantiam dogmatis, quale erat in originali divinitus inspirata Scriptura.

Corollarium 3um. Ergo vi decreti Tridentini praeceteris quidem pars illa epistolae s. Joannis: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in coelis* . . ., habenda videtur canonica et authentica. Haec enim eminenti ratione pertinet ad partes *per se dogmaticas*. Nullus namque alius locus in tota Scriptura invenitur in quo tam explicite, diserteque proponitur mysterium ss. Trinitatis, quod Tertullianus merito vocavit „substantiam novi Testamenti, quod exinde Pater, Filius et Spiritus tres crediti unum Deum sistunt." — Praeterea jam pridem „in Ecclesia catholica legi consuevit. *et* in veteri vulgata latina editione habebatur", omnium quidem consensu inde saltem a saeculo IX. Quinimo directe ex monumentis adhuc reliquis constat, textum hunc s. Joannis in Ecclesia catholica ut genuinum agnitum fuisse etiam prisca aetate, quousque vestigia versionis *latinae* prosequi possumus, ab octavo usque ad secundum vel tertium saeculum regrediendo, ut adeo ex versione Itala in Vulgatam nostram transierit. Nihil igitur ejusdem genuinitati officit, quod in multis codicibus graecis deficiat Imo ex norma a Tridentino praescripta, et ex principio catholico (n. 138.) memorato, canonicus et authenticus habendus esset, etiamsi certa demonstratione constaret, textum istum in latinam editionem postliminio [1]) fuisse susceptum. Hoc enim solum probaret, veram lectionem non quidem a primo auctore versionis latinae, sed alio modo nobis conservatam fuisse. Plura videsis apud Franzelin, *Tract de Deo trino secund. Pers.* Th. IV. et „*De Katholiek*", 72. d., 1877., p. 1.-36.

[1]) „*Postliminio* sc. jure; vernacule i. e., door recht van terugkeering in zijn voormaligen stand. *Postliminium* enim valet: Terugkeer in zijn ouden stand, en in zijne voormalige rechten." Ita *Schelleri lexicon* ad *h. v.*

Repetitio §. 4.

Decreti Tridentini „de canonicis Scripturis" partes, falsae interpretationes, et genuini sensûs tuitio.

147. I. *Partibus* quatuor constat, quarum 1ª. imprimis exhibet Synodi scopum *generalem*, eumque *polemicum*. „Synodus hoc sibi perpetuo ante oculos proponit, *ut*, *sublatis erroribus*, *puritas ipsa Evangelii in Ecclesia* CONSERVETUR." Itaque scopus iste fuit, damnare errores haereticorum, nominatim quidem qui *tunc* erant, sed et qui *in posterum* ejusdem speciei errores tenere praesumerent. Dein docet, supernaturalem revelationem contineri in Scripturis utriusque T., *et* in Traditionibus divinis. — 2ª. exhibet librorum sacrorum canonem, hujusque scopum *specialem*, „ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur." — 3ª. tradit definitionem dogmaticam, libros recensitos integros cum omnibus suis partibus sacros esse et canonicos, ac normam secundum quam unâ secum quisque fidelis intelligat librorum recensitorum integritatem et partes. Quae norma est: consuetudo lectionis publicae in Ecclesia catholica, *et* comprehensio in veteri Vulgata. — 4ª. exhibet consectarium decreti dogmatici declarans scopum ejusdem *directum*. „Omnes itaque intelligant, quibus potissimum testimoniis ac praesidiis, in confirmandis dogmatibus, et instaurandis moribus Synodus sit usura", quo significari videtur, decretum praesertim spectare locos Scripturae per se dogmaticos

II. *Sensus decreti verus contra falsas ejusdem interpretationes.*

1°. Post Concilii Tridentini decretum, nullum admitti potest discrimen *intrinsecum* inter libros proto- et deutero-canonicos utriusque T., sed tam hi, quam illi suscipiendi sunt aequaliter sacri, et ejusdem auctoritatis divinae. Quae catholica veritas contra Drem Jahn c. s. probatur a). ex singula de-

creti parte; b). ex veridica Concilii historia, et c). ex authentica declaratione Concilii Vaticani.

2°. Circa *extensionem* decreti, sive, quaestionem: *Quid nomine* PARTIUM *vi decreti Tridentini intelligendum sit?* a). evidenter erravit Sixtus Senensis additamenta libri *Esther* inter apocrypha rejiciens. b). Veteres nonnulli *justo rigidiorem* sententiam sectati sunt, contendentes minutiora quaeque, prout in Vulgata leguntur, canonica esse habenda, et authentica. c). Quidam recentiores, utputa cl. Car. Vercellone, universim ut videtur, *justo laxiorem*. Imo laudati auctoris opinio *falsa* est, quatenus edocet nomine *partium* a Patribus Tridentinis dumtaxat intentas esse partes deutero-canonicas *Danielis et Esther*. Ex ipsis enim *actis* Concilii constat, eos proxime quidem et directe intendisse partes deutero-canonicas *Evangeliorum*; atque ex ipsis verbis, quibus usi sunt, indirecte satis patet, eos sartas tectasque voluisse reliquas quoque deutero-canonicas aliasque omnes utriusque T. partes per se dogmaticas, quae duabus in ipsa formula dogmatica enunciatis conditionibus gaudent, nimirum, quod in Ecclesia catholica legi consueverint, et in veteri Vulgata, prout haec tempore Concilii extabat, haberentur.

3°. De cetero inter ipsos probatos auctores non plane convenit quae *speciatim* istiusmodi partes sint, imo nequidem utrum Concilium voluerit suo decreto comprehendere omnes *et singulas* partes *per se dogmaticas*, an indiscriminatim dumtaxat omnes partes substantiales, i. e., quae libros constituant moraliter integros, sive eae per se dogmaticae sint sive non. Quatenus haec auctoritate Ecclesiae declarata non sint, *unusquisque in suo sensu abundet*. Equidem cum communi veterum sententia, a qua, ut sapienter monet Card. Franzelin p. 543., in re tam gravi non est recedendum, cum laudato auctore tenuerim, *vi* decreti Tridentini omnes *et singulas* partes per se dogmaticas, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata habentur, canonicas habendas esse et ita au-

thenticas ùt singulis in textu originali respondeant enunciationes ejusdem sensûs, licet possit esse discrimen in modo exprimendi eamdem veritatem; ceteras porro partes quoad substantiam, i. e., non singulas, sed tales quae, si abessent, liber jam non integer, sed mutilus haberetur. Denique censerim nominatim ℣. 7. cap. V. epist. I. s. Joannis praehabito decreto declaratum fuisse canonicum et saltem simpliciter authenticum, quum textus ille *per excellentiam* dogmaticus sit, deque illius usu publico et constanti in Ecclesia catholica et comprehensione in Vulgata ab antiquo satis videatur constare. Principium autem, cui innixi Patres Tridentini expositum decretum ediderunt, illud est, quod Spiritus Sanctus non potuit permittere ut Ecclesia universa, *immediate* quidem *Latina*, nominatimque Romana, omnium Ecclesiarum mater et magistra, et *mediate*, saltem in oecumenicis Conciliis in Occidente celebratis, Ecclesia quoque ORIENTALIS, per tot saecula usu publico adhibuerit aut fidelibus proposuerit vel aliquem textum tamquam per se dogmaticum, adeoque tamquam a Spiritu Sancto inspiratum, qui tamen revera spurius esset, atque in se verbum mere humanum.

III. *Consectaria.* 1um. Ergo judicium de partibus deutero-canonicis *Evangeliorum* non amplius pendet a rationibus criticis, et vere quid contra decretum Tridentinum agere censendus est qui hujusmodi rationibus innixus illas partes rejiceret.

2um. Scientia critica infallibili doctrinae Ecclesiae subesse, hancque ut normam certe *negativam*, i. e., cui contradicere nefas est, ante oculos habere debet.

3um. Textus theologice canonicus, et adeo authenticus, (qualis nobis *videtur* ℣. 7. cap. V. epist. I. s. *Joannis*) non potest critice demonstrari spurius, vel mutans substantiam dogmatis, prout hoc enunciabatur in Scriptura originali. *Detur ratio asserti.*

BIBLIOTECA
CONV. WIJCHENS
ORD. FRAT. MIN.

CAPUT IV.

De sacrae Scripturae textibus.

148. Caput praesens in duos dispertimur §os, quorum singulus plura complectitur puncta.

§. 1us Quinque: 1um tradit notionem textuum Scripturae in universum; 2um agit de Scripturae textibus originalibus; 3um de horum codicibus, et editionibus; 4um de eorum integritate, et 5um de eorum utilitate.

§. 2us agit de Scripturae versionibus Graecis et Latinis. De *Graecis* duo tradit puncta: 1um exhibet notionem generalem de singulis versionibus lingua graeca elaboratis; 2um notionem specialem de *versione LXX.*

De *Latinis* quinque pertractantur puncta. Disseritur namque nominatim de *Itala*, et *Hieronymiana*, ex quibus constat *Vulgata* nostra, speciali decreto Concilii Tridentini *authentica* declarata, et quam emendatissime *imprimenda.*

§. 1.

I.

Notio textuum sacrae Scripturae in universum.

149. Nomine textus *h. l.* non intelligitur determinatus aliquis Scripturae locus, qui adhibetur v. g. ad probandam aliquam veritatem, vel qui orationi habendae praeponi solet, sed *idioma*, sive, *peculiaris sermo, quo res in Scripturis contentae exprimuntur.*

150. Textus hoc sensu *latius* sumptus distinguitur in *originalem* sive *primigenium*, i. e., idioma, quo Scripturae libri per auctores ab origine, seu, primum scripti sunt; — et in *translatitium*, i. e., idioma, quo scriptae sunt versiones.

151. Sensu autem *strictiori* Scripturae textus originales simpliciter et singulariter *textus* vocantur, atque ii sunt *vel* ar-

chetypi, seu, autographi, *vel* apographi. *Archetypum*, seu, *autographum* intelligitur primum cujusvis libri exemplar, quod ipse auctor sive sua manu, sive per amanuensem scripsit. Exemplaria vero postea praesertim per alios descripta, *apographa* audiunt. — In antecessum animadvertimus, hodie solum superesse apographa.

152. Pariter sensu *strictiori* textus translatitii simpliciter vocari solent *versiones*, quarum aliae sunt *immediatae*, i. e., proxime ex ipso textu primigenio confectae, qualis v. g. maxima parte est Vulgata nostra latina; — aliae *mediatae*, i. e., ex aliis iterum translationibus deductae, qualis v. g. fuit Itala.

II.

De Scripturae textibus originalibus.

153. *Generatim* duo sunt Scripturae textus primigenii: *hebraicus*, at purus iste vel mixtus, et *graecus*.

154. *Scholion*. Dicitur „hebraicus, *at purus iste vel mixtus*." Quandoquidem lingua hebraea duplex distinguitur, pura et mixta. *Pura* dicitur illa, quam Hebraei inde a Patriarchis, citra aliquam notabilem mutationem, ut sibi propriam et vernaculam habuerunt, usque ad captivitatem Babylonicam. *Mixta*, quae tempore dictae captivitatis ex permixtione linguae hebraicae et aramaicae sensim apud eos invaluit sin lingua, saltem dialectus nova, quae variis nominibus dein compellata est, ut plurimum autem appellatur *syro-chaldaica*, aut *aramaeo-palestinensis*, quo idiomate etiam ipse Christus usus videtur.

155. Magis *speciatim* libri *V.* T. primum scripti sunt a). *proto*-canonici lingua *hebraica pura*, exceptis quibusdam fragmentis libri I. *Esdrae*, et *Danielis*, cum ℣. 11. cap. X. *Jeremiae*, syriace, sive, chaldaice exaratis. — b). *Deutero*-canonici lingua *graeca*, exceptis prophetia *Baruch*, *Ecclti^co* hebraice, et, ut videtur, libro I. *Machab.*, ac additamentis *Estheris*, et libro *Judith* chaldaice primum scriptis, libro denique *Tobiae* vel chaldaice, vel potius hebraice primum exarato, qua

de re cfr. „*De Katholiek*", 88ste. d. Nov. 1885. a p. 270.

156. Libri *N.* T. omnes *graece*, excepto Evangelio s. *Matthaei* conscripto lingua aramaeo-palestinensi, quâ multi etiam epistolam ad *Hebr.* primum scriptam esse opinantur, aliis probabilius adstruentibus, hanc quoque primum graece exaratam fuisse.

III.

De textuum codicibus et editionibus.

157. *Codices* intelliguntur exemplaria manuscripta (Mss.), quibus textus vel versiones continentur; — *editiones*, eorum *typographicae* reproductiones.

158. *Scholion.* Praesertim inde a medio circiter saeculo XVIII., postquam *critica sacra*, nominatim *verbalis*, pene ad scientiae peculiaris dignitatem evecta fuit, viri eruditi multa de his disputant, et plura volumina ediderunt, in quibus copiosus invenitur apparatus instrumentorum criticorum, et quaestiones criticae fusius pertractantur, tum *theoreticae* de methodo et de regulis sequendis, tum *practicae* de regulis his ad singulas sacri textûs variantes lectiones applicandis. Pro instituto nostro, jam in praefatione ad hunc tractatum delineato, perpauca de his sufficiunt. E multis igitur sint sequentia.

159. Textûs *hebraei* codex *integer* nullus praesto est saeculo XI. antiquior. Antiquissimum exemplar *Pentateuchi* est anni 843.

160. *Scholion* 1um. Itaque fatentibus vel ipsis criticis praecipuis, utputa Benjamin Kennicott (Prof. in Univ. Oxoniens. † 1783.) et Joan. Bern. de Rossi (Prof. in Univ. Parmens. † 1831.), codices hebraici valde antiqui non inveniuntur, qui sc. possint cum codicibus Scripturae graecis aut latinis *antiquitate* contendere, a quâ tamen pretium codicum diversorum in re critica plurimum ponderari solet. Animadversio haec eo majoris est ponderis quod vel *antiquissimi* [1]) codices hebraici ad

[1]) Ne quis igitur fucato nomine antiquitatis capiatur, cum audierit in determinato quodam loco codices hebraeos discrepare a versione graeca vel latina; quandoquidem ratione antiquitatis, ipso doctore cl. de Rossi (*Prolegom.* §. XIV.), hebraici codices saeculo XII. antiquiores vocari debent *antiquissimi*; huic aetati posteriores usque ad medium saec. XIV. simpliciter *antiqui*, ceterique *recentiores* vel *recentissimi*. Cfr. cl. Ubaldus, vol. II. p. 525.

privatum ac scientificum usum destinati, *punctis vocalibus* et *accentibus*, ut vocant, *Masorethis* consignati sunt, quae priscis Judaeis, atque vel aetate s. Hieronymi ignota erant.

161 *Scholion* 2um. Prisci Hebraei in scribendo vocalibus non utebantur. Ex usu et traditione noscebatur quae vocalis in elocutione esset adjicienda. Jam vero notae, sive, signa, quae locum litterarum vocalium supplent, easque exprimunt, *puncta vocalia* audiunt. *Accentus* autem lineolae, supra aut infra vocem appositae, veluti signa sunt, ut vocant, interpunctionis et pronuntiationis, sive, declamationis.

162. *Scholion* 3um. De origine horum signorum valde disputatum est. Probabilior sententia eam repetit a *Masorethis*, quo nomine veniunt certi doctores Judaeorum, illi sc. Rabbini Tiberiadenses in Galilaea, et Babylonici, qui, inde ab exeunte saec. VI. usque ad X. saeculum, textum hebraicum critice quodammodo recensuerunt, et lectionem vocum *traditionalem* ope praedictorum signorum figere conati sunt. *Masora* namque idem valet ac *traditio*.

163. *Scholion* 4um. Praecipua pars Masorae sunt *Keri*, et et *Chetiv*, seu, criticae adnotationes de variantibus lectionibus; cetera fere omnia ad orthographiam et ad minutias rabbinicas pertinent. Duae autem illae voces *Keri* et *Chetiv* participia sunt chaldaica verborum *kara* (legere), et *chatav* (scribere), per quae indicantur variationes in lectione textus inducendae. Si in textu vox aliqua deest, haec suppletur in margine, apposita desuper nota: *keri velò chetiv*, i. e., *lectum sed non scriptum*, ut fit e. g. II. *Reg.* VIII. 3. Si vero vox aliqua redundat, haec quidem in textu relinquitur, sed tamen sine punctis; in margine autem notatur *chetiv velò keri*, *scriptum sed non lectum*, i. e, non legendum, uti v. g IV. *Reg.* V 18.

164. *Scholion* 5um. In re critica aliquid utilitatis habere opus Masorae non est quod negetur; non tamen prudens foret ex sola ejus auctoritate judicium ferre de genuina vel praestantiori lectione alicujus loci variantis; imo haud raro Masora damnanda et relinquenda est. Constat enim Masorethas aliquando mendosos codices secutos esse, et quasdam lectiones falsas recepisse ut veras, et vicissim veras proscripsisse tamquam falsas, puta *Josue* XXI. 36. 37.

165. *Scholion* 6um. Modus designandi et citandi codices hebraicos nondum fuit a criticis uniformi et universali methodo stabilitus. Insigniores designari solent nomine bibliothecae, in qua asservantur, vel personae, ad quam pertinent vel pertinuerunt. Ceteri per numeros arabicos notantur, qui tamen diversi sunt apud diversos criticos, et ideo debent in clavi vel apparatu critico explicari. (Cfr. Ubaldus, vol. II. p. 501. 526. 536.-40.)

166. Textûs *graeci* codices superstites potissimum dividuntur in *unciales* et *minusculos*. — *Unciales* vocantur qui exarati sunt litteris omnibus majusculis, quae formam plus minus quadratam, paulisper rotundam exhibent, quasque antiqui *unciales* vocabant. — *Minusculi* qui charactere minusculo, et, ut aiunt, cursivo scripti sunt. Omnes codices unciales saeculo XI. antiquiores sunt, ideoque majoris pretii in re critica quam minusculi, qui non nisi inde a saeculo XI. prodierunt. Unciales circiter sexaginta innotuerunt; minusculi fere septingenti. Unciales communiter citantur per litteras majusculas alphabeti; minusculi per numeros arabicos, plerumque tamen addito nomine loci vel bibliothecae ubi asservantur.

167. Inter unciales praecipui sunt quatuor sequentes:

1°. *Codex* B., qui *Vaticanus* dicitur a bibliotheca Vaticana, omnium praestantissimus et facile antiquissimus; quippe qui Alexandriae certe priori dimidio saeculi IV. scriptus reputatur. Generatim loquendo, utrumque T. complectitur fere integrum; Vetus secundum versionem LXX.

2°. *Codex* [1]), qui *Sinaiticus* dictus est, quia in monasterio s. Catharinae montis *Sinai* anno 1859. repertus fuit a Fred. Constant. Tischendorf, conscriptus, ut videtur, sub finem saeculi IV.

3°. *Codex* A., qui *Alexandrinus* vocatur, quod Alexandriae vel certe in Aegypto exaratus est, ut videtur, in prima parte saeculi V.; anno 1628. a Cyrillo Lucari dono datus regi Angliae Carolo I., nunc in musaeo Britannico conservatur; continet utrumque fere T. integrum.

4°. *Codex* C., qui *Ephremi rescriptus*, item *Parisiensis Regius* dicitur. Prius nomen sortitur, quod deletae fere priori Scripturae N. T., saeculo XII. opuscula s. *Ephrem* Syri superscripta fuerunt. *Rescriptus* autem, seu, graece παλιμψήστος, *palimpsestus* vocatur, quia priori scripturae secunda superposita fuit. Altero nomine venit, quod asservatur *Parisiis* in bibliotheca *regia*.

[1]) Designatur per *Aleph* Hebraeorum.

Scriptus putatur ante saeculum V. (Plura de his, aliisque codicibus dant recentiores plerique, Ubaldus, *l. c.* p. 590.-603.)

168. *Scholion* 1um. Codices, praeceteris Vaticanus et Sinaiticus, etiam hoc nomine summi sunt pretii quod 1^{0} praestantiam Vulgatae nostrae latinae editionis demonstrant, quae eo clarius elucescit quo plura antiquitatis monumenta deteguntur, et accuratius perlustrantur.

2^{0}. Grave praebent argumentum ad probandam aequalem auctoritatem librorum deutero- et proto-canonicorum. Nullus enim exceptis utique fragmentariis, unum alterumve dumtaxat librum, quinimo libri partem continentibus — solos exhibet libros proto-canonicos, sed codices omnes magis integri proto-canonicis intermixtos continent etiam deutero-canonicos.

3^{0}. Confirmant argumentum *praescriptionis* adversus dubia, quae recenti aetate de librorum sacrorum pene singulorum authentia, seu, genuinitate atque integritate sceptici et rationalistae moverunt. Quandoquidem evincunt, eosdem, quos nunc profitemur libros canonicos, certo jam saeculo IV. extitisse, receptos fuisse, imo jam antehac quum solum sint apographa codicum anteriorum. (Cfr. Em^{us} Franzelin, *Tr. de Script.* p. 424. 425.; Ubaldus *l. c.* p. 519.)

169. *Scholion* 2um. Missis ceteris, etiam praestantissimis editionibus textus graeci nominatim N. T., de *textu recepto* (quem Elzeviri anno 1633 Lugduni Batavorum ediderunt) id unum cum cl. S. P. Lipman memoramus: „vere, et sine contradictione vel unius rei periti dici potest: eum *receptum* audire, quia a plerisque omnibus *receptus*, attamen a nemine *probatus* fuit" [1]).

IV.

De textuum integritate.

170. Contra Rationalistas *h. l.* pleno jure pro certo assumitur ex cap. V. a n. 250., textus apographos tam hebraeum quam graecum, tam V. quam N. T. *substantialiter* integros et incorruptos ad nos pervenisse.

[1]) *Het N. T.*, le d. *Inleiding* a p. LVI, ubi ad verbum ait: „Men kan daarvan naar waarheid, en buiten tegenspraak van éénen enkelen oordeelkundige zeggen: Hij heet *aangenomen*, omdat hij door allen *is aangenomen*, en door niemand *goedgekeurd*."

171. *Scholion* 1um. Dr. „*substantialiter integros*" etc. Nam ultro fatemur in textus, ex causis variis omnino naturalibus, menda *accidentalia* irrepsisse quam plurima, eorumdemque dari *variantes* lectiones istiusmodi quam plurimas.

172. *Scholion* 2um. Causas praecipuas, ex quibus menda illa et variantes lectiones exorta sunt, jam s. Hieronymus innuit, ubi scribens ad *Lucinium* „Vitia, inquit, imputare debes imperitiae notariorum, librariorumque incuriae, qui scribunt, non quod inveniunt, sed quod intelligunt, et dum alienos errores emendare nituntur, ostendunt suos."

173. *Scholion* 3um. Menda quae in textibus reperiuntur, itemque variantes lectiones quoad maximam partem sensum non afficiunt. Pauca autem numero quae ipsum sensum immutant, annotationes sunt ex locis parallelis depromptae, aut vocum immutationes, vel omissiones interdum etiam integrae cujusdam sententiae etiam gravioris momenti, qualis profecto est v. 7. cap. V. *epist. I.* s. *Joann.* in multis codicibus graecis quidem deficiens, at nihilominus omnino genuinus. (Cfr. n. 145). Nullum autem in textibus superstitibus tale est mendum, nulla talis lectionum varietas, quae dogma extraneum invehat; nulla, quae novam aliquam morum regulam afferat; nulla, quae alicui libro sacro aliquid majoris momenti addat, quod, saltem quoad rei summam, non inveniatur in aliis Scripturae locis, atque adeo textus etiamnum merito dicuntur *substantialiter* integri.

V.

De textuum utilitate.

174. Textus, etiam ut hodie nobis praesto sunt dumtaxat *substantialiter* integri, salvo prorsus decreto Tridentino de authentia veteris Vulgatae latinae editionis, utpote quod — uti expressius n. 222. 223. dicetur — nequaquam excludit usum, vel minuit auctoritatem textuum originalium, quadruplicem potissimum in finem utiles sunt:

1°. Ut ex iis convincantur Judaei et haeretici, cum a Vulgata nostra ad textus appellant.

2°. Ut variarum lectionum veritas, pensatis pensandis, stabiliatur.

3°. Ut sensus genuinus verborum et sententiarum, quae in Vulgata ambigua sunt, seu, aequivoca, determinetur.

4°. Ut plenius perpiciatur verborum, sententiarumque vis, energia et innata apud Hebraeos ac Graecos proprietas, quam latinus sermo exprimere non valet.

175. *Scholion* 1um. Revera sexcenti Vulgatae loci ambigui determinantur per textus originales, quibus neglectis, quandoque interpretes ceteroquin doctissimi hallucinati sunt.

176. *Scholion* 2um Ab altera parte Calvinus, aliique primigenii Protestantes, imo catholici *quidam* ad hebraeos, graecosque, ut vocant, „fontes revelationis", ceu etiamnum absolute necessarios appellarunt, appellantque, atque ideo notitiam linguarum orientalium universim Theologis et verbis Dei dispensatoribus *necessariam* depraedicant. Ita, e. g., Jos. Jul. Monsperger, Professor Seminarii Lovaniens. sub Josepho II., docuit: „Sive enim theologiam *polemicam*, sive *homeliticam*, seu *exegeticam*, seu *dogmaticam* consideres, *tuto nusquam tramite incedes*, nisi argumenta *ex revelationis fonte, ex ipsis adeo visceribus* depromere, textumque itaque *originarium probe noris*." Atque haec ille. Similiter teste Illmo Bracq, nuper Gallus quis scribere non erubuit: Sine notitia hebraici textûs nec religionem defendi, nec sacras Litteras intelligi posse.

Ad haec paradoxa *respondemus*: Inhaerentes sensis ss. Patrum, ipsiusque sanctae matris Ecclesiae Romanae, quae studium linguarum orientalium numquam non aluit fovitque, utique profitemur earum studium, nominatimque hebraicae et praesertim graecae linguae utile esse iis maxime clericis, qui ad profundiora studia exegetica, vel theologica informantur, sed earumdem notitiam universim Theologis et verbi Dei dispensatoribus necessariam esse negamus. Habemus enim Vulgatam latinam editionem, quae vel critica auctoritate praecellit codices hebraeos et graecos, *quales hi hodie nobis praesto sunt*, atque insuper prae ipsis codicibus hebraeis et graecis gaudet *authentia judiciali* certe quod ad *substantiam* dogmatum attinet (cfr. n. 223. 225. 228. 234.), adeoque et hoc titulo in rebus ad aedificationem doctrinae christianae pertinentibus generatim majorem fidem meretur, quam hodierni „fontes revelationis." Rem vehementer suo judicio comprobat Em^{mus} Card. Joan. Henric. de Frankenberg. In declaratione namque circa doctrinam Professorum Seminarii generalis, sententiam quae adstruit, linguas orientales necessarias esse omnibus Theologis et Praedicatoribus, vocat perniciosam, falsam et manifeste erroneam. Paucis rem totam *practice* complectens Ill^{mus} Bracq „Omnimodâ, inquit, necessitate repulsâ, non neganda est aliqua, imo non mediocris utilitas pro aliquibus de clero, qui in

fide radicati, bona intentione ad studium linguarum orientalium incumbunt. Semidocto autem vanoque juveni nulla hinc est utilitas, seu melius, est illi ingens periculum: *scientia* enim praesertim rerum orientalium, *inflat*, ut variis experimentis compertum est."

177. *Corollarium practicum.* Ex antegressis ad tramites Henrici Kilber statui possunt sequentes regulae *practicae*:

1ª. Si Vulgata nostra a textibus hebraeo, graecove, ut hi hodie praesto sunt, recedere videatur, non ideo sequitur illam mendosam esse.

2ª. Non est probanda eorum audacia, qui, sicubi Vulgata ab hebraeo, graecove textibus, quales hi nobis praesto sunt, dissenserit, *semper* volunt ex his eam emendandam esse.

3ª. Certe in rebus ad aedificationem doctrinae christianae pertinentibus generatim, ceteris paribus, major nobis esse debet auctoritas Vulgatae quam hodierni textus hebraeus et graecus.

4ª. Ceteris paribus, potius textus hodierni a Vulgata sunt corrigendi, quam contra.

5ª. Codices hodierni hebraeus sive graecus nusquam leviter, imo in rebus ad aedificationem doctrinae christianae pertinentibus non nisi propter rationem gravem, Vulgatae sunt praeferendi, ac demum in hujusmodi rebus nulla umquam inter textus et Vulgatam admittenda est *difformitas substantialis*, ut distinguitur *a modali.*

Repetitio §. 1.

De Scripturae textibus.

178. I. *Praevia notio.* Textus *h. l.* intelligitur *idioma, quo res in Scripturis contentae exprimuntur.*

Textus est
- originalis (primigenius, *proprie* dictus)
  - autographus, sive, archetypus (nullus talis hodie extat); apographus, a priore transcriptus.
- translatitius, versio
  - *immediata*;
  - *mediata*, sc. ex alia versione.

II. Textus *originales* Scripturarum generatim duo sunt: hebraeus (purus vel mixtus), et graecus. Magis speciatim libri *V.* T. *proto*-canonici primum pure hebraice scripti sunt, exceptis quibusdam fragmentis; *deutero*-canonici graece, nonnulli autem hebraice, alii chaldaice. — *N.* T. omnes graece, excepto Evangelio s. Matthaei.

III. Textuum *codices* et *editiones*. — *Codices* intelliguntur antiqua Mss., quibus textus vel versiones continentur. *Editiones*, eorum reproductiones typographicae.

Codex *hebraeus integer* nullus praesto est antiquior saeculo XI. Ergo in re critica codices hebraei non tantum valent quantum graeci aut latini. — *Puncta vocalia* audiunt signa, quae locum supplent vocalium (quibus Hebraei in scribendo non utuntur). *Accentus*, lineolae infra aut supra vocem appositae ad determinandam interpunctionem, et pronuntiationem. Probabilius eorum origo repetenda est a *Masorethis*, i. e., Rabbinis Tiberadensibus et Babylonicis, qui a saec. VI. — X. lectionem vocum *traditionalem* stabilire conati sunt. *Masora* enim idem valet ac *traditio*. Opus masorae aliquid utilitatis habere, non negetur; praeponderantis tamen auctoritatis nusquam habeatur, imo nonnumquam nihili faciendum est. *Quare?*

Codices *graeci* alii dicuntur *unciales*, alii *minusculi*. Declara utrorumque *rationem nominis*, *aetatem*, *numerum*, et *citandi modum*; speciatim *rationes propter quas inter unciales praecipue aestimantur Vaticanus et Sinaiticus.* — *Quis intelligitur* TEXTUS RECEPTUS, et *quid judicii de ejus auctoritate?*

IV. Certum est textus etiamnum esse *essentialiter*, sive, *substantialiter* integros, sed in iis occurrere multa menda *accidentalia*, praecipue orta a). ex defectu vocalium in hebraeo; b). ex imperitia notariorum; c). ex incuria librariorum; d). ex praepostera correctione exegetica, vel critica.

V. Textus etiamnum *utiles* sunt praecipue a). *polemice*, ut argumentum *ad hominem* adversus Judaeos et haereticos; b). *critice*, ad stabiliendum quaenam ex variantibus lectionibus

determinato in loco praeponderet; c). *exegetice*, ut sensus Vulgatae ambiguus, item d). energia verborum, et sententiarum determinetur. Nequaquam autem universim Theologis et verbi Dei dispensatoribus *necessarii* sunt, imo, nusquam leviter, et nominatim in rebus fidei et morum non sine gravi ratione, praeferendi sunt veteri Vulgatae latinae editioni, quam Concilium Tridentinum authenticam declaravit.

§. 2.

De Scripturae versionibus Graecis.

I.

Notio generalis de graecis versionibus singulis.

179. *Earumdem numerus, aetas, et auctores.* Praeter eam, cujus meminit inter alios Clemens Alexandrinus, quae antequam rerum potiretur Alexander M., incerto auctore jam prodiisse fertur, inter versiones graecas a superioribus ceu omnium *prima* numerari solet versio LXX., de qua mox speciatim.

Secunda facta est anno aerae vulgaris 128. ab *Aquila*, qui origine Ponticus, sub Hadriano Imperatore, ex ethnico christianus factus, postea ad ritus judaicos deflexit. (*H. E. Comp.* ep. II. n. 36.)

Tertia, anno 186. a *Theodotione*, qui patriâ Ephesius, primum fuit Tatiani, deinde Marcionis sectator, postremo Judaeus proselytus.

Quarta, anno 203. a *Symmacho*, qui a Samaritano christianus, postea Ebionita factus est. Hi tres, inquit s. Hieronymus, „Judaeus Aquila et Symmachus ac Theodotio Judaizantes haeretici multa mysteria Salvatoris subdola interpretatione celarunt." (*In lib. Job praefatio*).

Quinta vocatur *Hierichuntina*, quod apud urbem Jericho anno 217. inventa fuit. Hujus, uti etiam sequentis versionis auctor ignoratur.

Sexta appellatur *Nicopolitana*, a loco inventionis, Nicopoli

ad Actium, ad annum 228.

Septima est versio *Origenis*, seu, potius recensio versionis LXX. ab Origene ineunte saeculo III. confecta, et plerumque ex versione Theodotionis, aliquando ex Aquila et Symmacho nonnullis locis aucta, vel explicata.

Octava potius iterum recensio circa finem saeculi III. adornata est a s. *Luciano*, qui in persecutione Diocletiana anno 310. martyr obiit.

Nona est recensio s. *Hesychii*, Episcopi in Aegypto, anno 304. martyrio affecti.

180. *Scholion* 1um. Ex quatuor prioribus versionibus confecta per Origenem *Tetrapla*, atque ex his, addito textu hebraeo litteris tum hebraicis, tum graecis exarato, *Hexapla* satis describuntur in *H. E. Comp.* ep II. n. 52 — Vastissimum id opus Origenis maxime spectabat ad correctionem versionis LXX., et ad exhibenda ea omnia, quibus versio ista a textu hebraico discreparet. Ideo si quid in LXX. legebatur quod deerat in hebraeo, illud in principio transversâ lineolâ, quae *obelus* dicitur, in hunc modum ÷ Origenes notabat [1]), additis duobus punctis crassioribus (:) ad finem istius lectionis, ut lector unico ictu oculi sciret verba illa in textu hebraico non reperiri. Si autem quid deerat in LXX., quod extabat in hebraeo, illud ex memoratis versionibus supplebat, apposito *asterico* * ante verba addita, et similiter additis duobus punctis crassioribus ad finem istiusmodi loci. Recensio LXX. ex *Hexaplis* Origenis seorsum edita, ex indubiis testimoniis s. Hieronymi, post Origenis aetatem per Ecclesias longe lateque fuit diffusa, adeoque, considerato illius scopo, facile nonnullis catholicis occasionem primam praebere potuit dubitationi de genuinitate et divinitate librorum deutero-canonicorum V. T. (cfr. n. 114.) Memorata autem recensio *Septuaginta hexaplaris* vocari consuevit ad distinctionem ab editione LXX. non emendatâ, quae ante hac κοινὴ ἔκδοσις, *editio vulgata* audiebat.

181. *Scholion* 2um. Propter aliquam rei similitudinem *h. l.* adnotamus, *Biblia polyglotta* [2]) eas dici Bibliorum editiones, quae textus originarios, pluresque antiquas versiones, variis linguis elucubratas, distinctis columnis sub uno conspectu exhibent.

[1]) Erat haec consuetudo etiam s. Hieronymi, ut testatur ante ℣. 4. cap. X. libri *Esther*.

[2]) A vocibus graecis: βίβλος, *liber*, βίβλιον, βίβλία; πολλὴ et γλῶσσα, *Attice*, γλῶττα = multa lingua.

Hujusmodi editiones quatuor praeceteris celebres sunt, quarum tres in *H. E. Comp.* recensentur, sc. *Polyglotta Complutensia* (ep. X. n. 21.); *Antverpiensia* (ibid. n. 62); *Parisiensia* (ep. XI. n. 12.) Quarta vocantur *Londinensia*, seu, *Waltoniana*, quod *Londini*, annis 1653.-57, auctore et totius editionis praecipuo curatore Briamo *Walton*, Epis. Anglicano, edita sunt.

II.

Speciatim de versione LXX.

182. *Ratio nominum.* A numero *Interpretum*, qui, tametsi fuerint *septuaginta duo*, tamen brevitatis causâ, adhibito numero rotundo pro specifico, et graece et latine simpliciter οἱ ἑβδομήκοντα, et οἱ ὁ [1]), *Septuaginta*, *LXX. Interpretum*, et a ss. Patribus *Septuaginta viralis* nuncupari solet. A nonnullis autem recentioribus ratione *loci* prope quem confecta est, versio *Alexandrina* vocatur.

183. *Historia* nobilissimae hujus versionis pro instituto nostro satis refertur per cl. Mart. Becanum, *Analogia V. ac N. T.* cap. I. Q. V. Imprimis *summa* narrationis Aristaei contra recentiores quosdam hypercriticos vera dicenda omnino videtur. Porro, *ceu certum* statui potest: Sub Ptolomaeo *Philadelpho*, rege Aegypti, et Pontifice Judaeorum Eleazaro, proindeque tribus circiter saeculis ante C. n., interpretes Hebraeos septuaginta duos, senos ex qualibet tribu, prope Alexandriam Aegypti ex textu hebraeo in graecum sermonem transtulisse saltem Pentateuchum Moysis. Quo in facto sane agnoscenda mirabilis divinae providentiae dispositio, utpote quae ope hujus versionis Gentilibus viam ad Christi fidem, divinaque mysteria stravit.

184. Dicitur: *saltem Pentateuchum.* Ceteroqui ut *longe probabilius* haberi potest, LXX. Interpretes, diverso licet stylo, transtulisse V. T. libros omnes sibi obvios, idque fideliter, et ex sinceris fontibus hebraeis.

[1]) Graeci enim numeros suis litteris plerumque ita exprimunt ut ὁ valeat *Septuaginta.*

185. Duae autem quaestiones hìc moveri solent *prorsus incertae*. Quaestio prima *de cellulis*, ut vocant, haec est: Utrum septuaginta duo Interpretes in transferendas Scripturas V. T. incubuerint vel a). *singuli separatim in totidem cellulis*; — vel b) *bini et bini*, ita ut cuilibet pari assignata fuerit una cella, cellaeque adeo fuerint triginta sex; — vel denique c). *omnes in una basilica congregati inter se conferentes* opus inchoarint et perfecerint. Tricas ejusmodi sapientiores solvant. Opinando postremae opinioni equidem subscripserim, saltem quatenus ita opus perfecerint.

186. Altera quaestio in eo versatur: *Utrum LXX. Interpretes fuerint inspirati?* Sententia *negans* certe hodie communior; *affirmans* autem etiam vere probabilis dicenda videtur.

187. *Auctoritas* versionis LXX. ab initio magna fuit, et est apud fideles. Quandoquidem eâ Judaei non solum Hellenistae, sed et Palestinenses (plerumque ipse quoque Josephus Flavius) usi sunt, etiam ad praelectiones sabbaticas, ab eo quo prodiit tempore ferme usque ad saeculum II. post C. n. Serius autem, quum a Christianis, proferentibus argumenta de vaticiniis in Christo adimpletis ex ipsa Septuaginta virali, ad incitas redigerentur, versionem LXX. ceu cum textu hebraeo non congruentem respuere, eorumque versioni versionem *Aquilae* anteponere coeperunt. — Eâdem porro et Apostoli ac Evangelistae saepe usi sunt, quandoque etiam in ipsis locis propheticis, quorum sensus paulo diverse redditur a Septuaginta ac sonat in textu hebraeo [1]).— Denique Ecclesia Graeca inde ab incunabulis Religionis christianae ad nostros usque dies eâ constanter usa est, imo et ipsa Ecclesia Latina singulariter usque ad saeculum V.; versio namque *Itala* ex versione LXX. *immediate* derivata est. (cfr. n. 200. 201. 209.)

188. *Substantialis integritas* versionis LXX. etiam in praesenti ejus statu satis consequitur ex constanti illius usu in Ecclesia Graeca.

189. *Codices* versionis LXX. a saeculo IV. superstites praecipui sunt Vaticanus, Sinaiticus et Alexandrinus, de quibus

[1]) Exempla videsis penes cl. Ubaldum vol. II. a p. 372.

n. 167. diximus. Inter *editiones* praeceteris notanda nobis est *Sixtina*, quam Sixtus V., P. M., Bulla „Cupientes", 8. Oct. anni 1586., probavit „Volumus, inquiens, et sancimus ad Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem, ut vetus graecum Testamentum juxta LXX. ita recognitum et expolitum ab omnibus recipiatur et retineatur, quo potissimum ad latinae Vulgatae editionis, et veterum ss. Patrum intelligentiam utantur."

Repetitio de versionibus graecis.

190. I. *Novem* versiones graecae numerari solent; inter has, praeter LXX., nobis praecipue notanda versio *Theodotionis*, utpote quâ in libro *Danielis* inde a saeculo III. utitur Ecclesia Graeca, et e quâ s. Hieronymus fragmenta deuterocanonica istius libri transtulit (Vide notam ante cap. XIII. Danielis in Vulgata nostra), et recensio LXX. per Origenem, cujus scopus in *Hexaplis* fuit, emendare LXX. vulgatam, et exhibere hujus discrepantias ab hebraeo textu, quas *obelo* vel *asterico* notabat. Ex *Hexaplis* seorsum edita *versio LXX. hexaplaris* audit, et per Ecclesias late diffusa fuit.

II. Versio Septuaginta, *unde id nomen obtinuit?* — Ejus historia hauritur ex libello Aristaei, *et* traditione. Videtur *substantialiter* vera. Quid hac in re 1°. *ceu certum*; 2°. *probabilius*; 3°. *magis controversum*, *quinimo incertum* haberi potest? Ejus *auctoritas* probatur ex usu ejusdem per Judaeos usque ad saec. II. p. C. n., per Apostolos, per Ecclesiam Graecam, et singulariter usque ad saec. V. per ipsam Ecclesiam Latinam. Ejusdem *integritas*, sive, authentia simplex pariter satis probatur ex constanti ejus usu in Ecclesia Graeca. Ejusdem *codices* praecipui sunt B. *Sinaitic.* et A. — *Editio* nobis praecipua *Sixtina*.

De versionibus Latinis.

I.

De Itala.

191. *Praenot.* 1°. „Nemini, inquit cl. Cornely, *l. c.* n 137., est dubium quin statim ac Evangelium per occidentales imperii Romani partes, Italiam, Africam, Hispaniam, Galliam disseminatum atque liturgia linguâ latinâ celebrari coepta est, sacrae Scripturae in eamdem sint translatae; Scripturarum enim in coetibus sacris lectio, quae teste s. Justino M. antiquissima est ac merito ab ipsis Apostolis invecta creditur, versionem postulavit." Palmaris igitur quaestio praevia hìc exoritur: *Quâ linguâ primis fidei temporibus nominatim Ecclesia Romana sacram liturgiam celebrarit?* Et: *Quae sit indoles linguae, quâ vetus versio latina, quae vulgo Itala vocatur, exarata fuerit?* (Utrum autem omnino, an parum accurate illo nomine veniat, ex ceteris punctis controversis dijudicandum erit). Ni enim fallar, e duabus quaestionibus memoratis potissimum pendent ceterae de Itala inter eruditos controversiae, puta: *Quando, ubi*, et *a quo* adornata, ac *unde* eo nomine donata sit?

192. *Praenot.* 2°. Nobis suffecerit diversas eruditorum opiniones, et argumenta praecipua retulisse. Atqui *alii*, quos inter laudatus Cornely, *n°. c.*, longe probabilius habent, Romanae Ecclesiae linguam publicam et liturgicam, per integra duo saltem priora saecula, *graecam* fuisse. — Potissima, quantum equidem sapio, argumenta, quae in hujus opinionis probationem cl. Cornely profert, desumuntur a). ex epitaphiis antiquis, ad quae cum cl G. B. de Rossi appellat; b). ex haud paucis graecis terminis in ipsa hodierna nostra liturgia latina retentis, quorum specimina dat cl. Le Hir istiusmodi, quae in ipsis s. Scripturis non occurrunt, et liturgiae nostrae graecam originem satis produnt; c). ex scriptis apostolicis ad Romanos proxime directis, et graece exaratis; ex epistola, inquam, b. Pauli ad *Rom.*, habita simul ratione generalis testimonii, quod exeunte saeculo II. Tertullianus protulit, atque ex evangelio s. Marci. Ex his hunc in modum cl Cornely argumentatur: „Tertullianus (*Lib. de Praescript.* cap. XXXVI.) „*authenticas* epistolas" Apostolorum in sedibus, ad quas directae erant, praelegi asserit [1]). Atqui sive *authentici* vocabulo in hoc Tertulliani loco autographum in oppositione ad apographa, sive primigenium in oppositione ad translationes sig-

[1]) An hoc asserat, *l. c.*, Tertullianus, equidem asseverare non ausim; quapropter sapientioribus judicium remitto.

nificetur, necessario sequetur epistolam ad Romanos Romana in Ecclesia graece esse lectam ac proin totam liturgiam graecam fuisse." Porro „ s. Paulus Romanis graece scripsit suam epistolam, et s. Marcus Evangelium suum, quod proxime Romanis erat destinatum, Romae graece edidit; quis autem crediderit, Apostolos Romae alia lingua in scribendo, alia in praedicando et celebranda liturgia usos fuisse?" — Linguae autem latinae proprietates, quae, nemine diffitente, Italae insunt, iidem reputant esse *africanismos*.

Alii vero, utputa Ubaldus Ubaldi, F. X. Caminero Munoz, *Manuale isagogic in s. Bibl'a* a n. 216., Dr. Franz Kaulen, *Einleit.* a. n. 145., Dr. Hermann Zschokke, *Hist. s. Antiqui T* §. 120., tuentur, statim ac Evangelium inter Romanos vulgatum fuit, sacram liturgiam Romae lingua *latina* celebrari coepisse. Ipse Tacitus, inquiunt, testis est, tempore Neronis in Italia, imprimis Romae ingentem extitisse multitudinem christianorum. Jam vero horum haud paucos etiam potentes et nobiles, longe maxima tamen parte fuisse plebeios, ex historia ecclesiastica, cui sacra universim adstipulatur, puta ad *Philip.* I. 13., I ad *Cor.* I. 25.-29., *Matth* XI 25. 26. etc., haud temere statuunt. Porro, aiunt, tametsi id temporis Romani insigni loco nati plerique graece scirent, tamen lingua *latina* veluti *propria*, hâcque *solâ populus* Romanus, et universim Itali utebantur, eâque non classicâ, sed *vulgari*, quae multis *barbarismis*, *provincialismis* et *soloecismis* conspersa erat. Atque hac vulgari latinitate Italam conditam et Romae in liturgia adhibitam existimantes, hoc ipso proprietates Italae facile declarant, utpote quae *vulgari* linguae latinae naturales erant; Italae vitia autem attribui possunt peculiari conditioni ejusdem interpretis, qui fuerit advena Romanus, ex Oriente oriundus Judaeo-christianus.

Secundum praehabita nunc opiniones variae de Italae *tempore*, *loco*, *auctore*, et *ratione nominis* referendae nobis sunt.

193. Atqui vel ii qui opinantur Romae liturgiam usque ad labens saeculum III. lingua graeca peractam fuisse, tamen vel ex testimonio Tertulliani (cfr. n. 198.), omnino admittendum docent, *medio*, imo *ineunte fere saeculo II.* jam adfuisse (cfr. Cornely, *l. c.* et n. 162.), et nominatim in Africa, sensim in usum liturgicum exiisse aliquam versionem latinam, in *Africa proconsulari* factam *auctore* incerto homine Africano.

Nominis rationem hi repetunt ex quadam veteris versionis

accuratiore recensione adornata in *Italia*. Audiatur Cornely, inquiens: „Africanum autem versionis colorem, quando exeunte saeculo III. Romae liturgiae graecae latina successit, Romanis Italisque summopere displicuisse facile concipitur, nec mirum, quod in Italia adornata sit *recensio* accuratior, quam ab ejus originis loco *Italam*" vocarunt.

194. *Scholion.* Dr. „*recensio* accuratior." De Itala namque disputantes eruditi, ansâ captâ praesertim ex iis, quae s. Augustinus scripsit *De Doctr. Christ.* lib. II. cap. XI. XIV. XV., id quoque in disceptationem vocant: Utrum primis fidei temporibus plures confectae sint latinae versiones *proprie dictae*, i. e., quae inter se non dependent, an potius variae unius ejusdemque versionis *recensiones*.

195. Qui vero autumant, in Italia, imo in ipsa urbe Roma, primis fidei temporibus liturgiam lingua latina vulgari celebratam fuisse, iidem et existimant jam *medio saeculo I.* incoeptam, et *exeunte eodem*, vel *ineunte saeculo II.* completam esse versionem, quae eorum quidem sensu *omnino* accurate compellatur *Itala*, eo quod sin in ipsa urbe Roma, saltem in *Italia* confecta, vel certe ibidem in usum publicum recepta fuerit.

Eam autem ex loco originis, Italia, transiisse in Africam iidem haud difficulter ex eo satis explicant et confirmant quod historice ferme constat, (testimonia videsis penes cl. Ubaldum, vol. II. p. 383.) ecclesiam Africanam inde fere ab aetate apostolica fidem recepisse ab Ecclesia Romana. Felix haec Ecclesia, ut Tertullianus ait *lib. de Praescript.* cap. XXXVI., „Africanis quoque ecclesiis contesseravit (i. e., ut videtur, tesseram et symbolum contulit)..... *Legem et prophetas cum evangelicis et apostolicis litteris miscet*, et inde potat fidem." Aliis verbis, unâ fere cum fide libros sacros communicavit cum Africanis, quos linguâ latinâ liturgiam celebrasse et Scripturas legisse nemo inficiatur.

Ipsum s. Petrum Apostolum Italae *auctorem* partiarium fuisse

veritati haud ita absimile reputant Dres Kaulen et Zschokke, innixi testimoniis Innocentii Papae I., qui anno 414. docuit, liturgiam (latinam) a s. Petro institutam esse, et Ruffini, qui anno 405. *Apol.* II. 33. scripsit: „Petrus Romanae Ecclesiae per viginti quatuor annos praefuit: dubitandum non est, quin sicut cetera, quae ad instructionem pertinent, etiam *librorum Instrumenta Ecclesiae ipse tradiderit, quae utique jam tunc ipso sedente et docente recitabantur.*" Profecto, si hisce verbis Ruffinus indicare voluerit partiarium versionis *latinae* auctorem, satis probabile est, jam in altero dimidio saeculi I. lectiones e Psalmis et prophetiis Messianicis desumptas in usum liturgicum sermone latio donatas Romae recitatas fuisse. At vero et ipsum Ruffini propositum in disputationem cadit. Dum enim Dr Kaulen asseverat secundum *contextum* verba Ruffini de versione quadam *latina* intelligenda esse, atque ex internis rationibus designationem Ruffini, jam s. Petrum fuisse partiarium *Italae* auctorem, non posse dilui, cl. Cornely scribit: „Ruffinum his verbis *latinae* versionis originem voluisse indicare, *plus quam improbabile est*; quaestio enim, quam ibi contra Hieronymum agitat, est de *alexandrinae* versionis auctoritate." Vel integer igitur Ruffini locus (quem cl. Cornely refert n. 33. not. 4a.) rem evidenter dirimere non videtur, quum viri eruditissimi de ejus sensu litigent. Forsan quae de *alexandrina* dicere asseveratur, quod ad vetus T. attinet etiam de Itala accipi possunt, quippe quam, ut Dr Kaulen ait n. 147., s. Hieronymus in suis commentariis loco versionis Septuaginta affert, et diu communiter vocarunt „*Septuaginta in Latino*" (cfr. n. 197. et 204. sub 2°.) Utcumque de his est, etiam cl. Hermann Goldhagen, S. J. (*Introd. in S. S.*, T. I. p. 319.) putat, versionem latinam *veteris* T. „virum quemdam apostolicum praecipuum auctorem habuisse." Et Bonfrerius, *Praeloq.* cap. XV. sect. II. „*novi* T. *latinam* versionem, inquit, non dubium factam *statim initio Ecclesiae, et sub Apostolorum tempora*, atque adeo

a viro apostolico et Spiritu Dei pleno; *planeque verisimile est, ab Apostolis visam et probatam.*" Simillima Sylvius tradit *Controversiar.* lib. I. Q. II. art. XII. Ipse demum s. Hieronymus ait, Italam „*nascentis* Ecclesiae fidem roborasse." Ergo certe simpliciter *antiquissima* jure vocatur.

196. *Varia nomina.* Versio latina, quam vitandae confusionis gratia hactenus *Italam* vocavimus et deinceps vocabimus, per ss. Patres, nominatim s. Hieronymum insuper appellatur *vetus* comparate ad novam quam ipse elaboravit; *vulgata* propter communem ejusdem usum ecclesiasticum inter christianos lingua latina liturgiam celebrantes.

197. *Fontes.* Itala tam fideliter refert Veteris T. versionem LXX. communem (κοινῆν) ut vel medio aevo, saeculo adhuc XIII., simpliciter vocari consueverit „*Septuaginta in Latino.*" Similiter textum orginarium novi T. fideliter exhibet.

198. *Dotes* Italae merito dicuntur fidelitas et perspicuitas sententiae. „In ipsis autem interpretationibus, inquit s. Augustinus, *Itala* ceteris praeferatur: *nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae.*" Et jam pridem Tertullianus dixerat: „Ideoque *jam in usu est* nostrorum, *per simplicitatem interpretationis.*"

199. *Auctoritas critica.* Itaque Italae fragmenta — nam integra non amplius superest — maximi pretii sunt in re critica. Praestans ejus critica auctoritas prono alveo fluit ex ejusdem antiquitate, et fidelitate superius delineata, tantâ quidem, ut ipse Tischendorf profiteatur: „Antiquissima textus sacri historia, et ipsum studium restituendi antiquissimam ejus scripturam *a nullis testimoniis magis pendet, quam a veterrimo latino interprete.*"

200. *Stadium temporis, quo Ecclesia Latina versione Italâ usa est.* Ecclesia Latina *communiter* Italâ usa est usque ad tempora s. Hieronymi. Elucubrata autem anno circiter 400. per s. Hieronymum nova versio sensim sensimque cum Itala *simul* adhiberi coepit et adhibita fuit usque ad tempora s. Gre-

gorii M. († 604.) Disertis verbis id de se Pontifex iste Max. testatur: „*Novam* Hieronymianam translationem edissero (in enarrando libro Job), sed cum probationis causa exigit, *nunc novam*, *nunc veterem* per testimonia assumo, ut, quia *Sedes Apostolica*, cui Deo auctore praesideo, *utraque* utitur, mei quoque labor studii ex *utraque* fulciatur." Verùm posthac, plerumque neglectâ Italâ, Hieronymi versio *fere sola* adhiberi ac Vulgata appellari coepit, atque demum a saeculo VIII. *sola* in usu fuit, et Itala ut talis abolevit.

201. *Scholion.* Dr. „Itala *ut talis* abolevit." Nam 1°. quidam libri integri, sc. *Sapientiae*, *Ecclesiastici*, *Machabaeorum*, et *Baruch cum epistola Jeremiae* etiamnum in Vulgata nostra habentur prout in Itala legebantur. 2°. Pariter nonnullae illius partes nobis conservatae sunt, praeterquam in operibus ss. Patrum, in libris liturgicis nostris. Sic in *Missali*, ex Psalterio, quod *Romanum* vocatur, quia s. Hieronymus vetus latinum Psalterium *Romae* anno 383 primis curis „licet cursim, magna tamen ex parte" secundum versionem LXX. correxit, et quia *Romae* illud receptum fuit, imo in hanc usque diem Basilicae s. Petri usui est, frequenter ex *Itala* legimus *Antiphonas ad Introitum*, *Gradualia et Tractus* [1]), *Offertorium* et *Communionem*; et in *Breviario* v. g. Psalmum 94. *Venite*, *exultemus Domino* quotidie ex *Itala* recitamus, et solum in festo Epiphaniae ex Psalterio, quod extat in nostra Vulgata, atque *Gallicanum* vocatur ideo quod haec Psalterii recensio, secundis curis a s. Hieronymo in secessu suo Bethlemitico circa annum 389. suscepta secundum editionem hexaplarem Origenis, primùm apud *Gallos* admissa fuit.

Repetitio de Itala.

202. I. *Aetas.* Itala, saltem universim accepta ut versio latina, jure simpliciter antiquissima, atque haud improbabiliter jam altero medio saeculi I. incoepta, ineunte autem vel certe medio saeculo II. completa habetur.

II. *Locus originis* aliis videtur *Africa proconsularis*, aliis sin ipsa urbs *Roma*, certe *Italia inferior*.

[1]) Exemplo sit *Tractus* Dominicae I. Quadrages. ex Ps. XC., qui in sex particulis a Vulgata nostra discrepat.

III. *Ratio nominis.* Qui opinantur eam primum adornatam fuisse in Africa, nomen repetunt a *recensione* quadam accuratiore in *Italia* sub finem saeculi III. instituta. Ii vero qui ipsam versionem in *Italia* primum confectam reputant, a loco originis etiam rationem nominis explicant, et una fere cum Religione in Africam transmissam censent.

IV. *Auctorem* quod spectat, post praehabita, non perperam cl. Ubaldi (vol. I. p. 265.) dixerit: „Quisnam autem auctor ... fuerit, et utrum unus fuerit vel plures ita obscurum mansit, ut impossibile sit etiam probabili argumento id definire."

V. *Fontes.* Quoad vetus T. versionem LXX, quoad novum fideliter refert graecum textum originarium.

VI. Ceu ejusdem *dotes* celebrantur *fidelitas*, et *perspicuitas.*

VII. Ejusdem *auctoritas critica* vel a Tischendorfio ut praepollens agnoscitur tum propter antiquitatem, cum fidelitatem.

VIII. *Usus* Italae in Ecclesia Latina communiter obtinuit usque ad versionem Hieronymianam; inde a saeculo V. sensim *utraque* adhiberi coepit, et ferme usque ad medium saeculum VII. adhibita est. Inde a saeculo VIII. Itala *ut talis* abolevit.

Nota 1°. *Quare dicis,* UT TALIS*? responsum exemplis declarando.*

Nota 2°. *Quid intelligis per Psalterium* ROMANUM, *item* GALLICANUM*? qua de causa singulum sic appellatur, et quonam nos utimur in liturgia?*

II.

De versione Hieronymiana.

203. In extremo *libro de Scriptoribus Ecclesiasticis* ipse s. Hieronymus labores, quos in vertendis aut emendandis Scripturis impendit, his verbis complectitur: „*Novum T. graecae fidei reddidi: vetus juxta Hebaicam transtuli.*"

204. *Rationes* suscipiendi hos labores s. Hieronymo potissimae fuerunt tres sequentes:

1ª. Quod labentibus annis Itala per incuriam et culpam librariorum ac interpretum varia menda contraxerat, imo secundum varios codices graecos corrupta potius quam correcta fuerat. „Si enim, inquit, Latinis exemplaribus fides est habenda, (maledici) respondeant, quibus? Tot enim sunt exemplaria pene quot codices." Et iterum: „Cum apud Latinos tot sint exemplaria quot codices, et unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit, vel subtraxerit, quod ei visum est, et utique non possit verum esse quod dissonat."

2ª. Quod, magis patefactâ discrepantiâ inter Italam, e versione graeca (κοινή) derivatam, et editionem LXX. hexaplarem, necnon textum hebraicum, Judaei versionis LXX. et Italae dissensum a textu originali christianis objiciebant. Idcirco „mihi, ait [1]), non licebit ad confutandos Judaeos, etiam ipsa exemplaria vertere, quae ipsi verissima confitentur, ut, si quando adversum eos christianis disputatio est, non habeant subterfugiendi diverticula, sed suomet potissimum mucrone feriantur?" Et rursum: Deus „scit, me ob hoc in peregrinae linguae eruditione sudasse, ne Judaei de falsitate Scripturarum Ecclesiis ejus diutius insultarent"; et „ut ea quae a Judaeis praetermissa vel corrupta sunt proferret in medium." (Hieronym. Augustino „Tres simul epistolas").

3ª. Jussum Damasi Papae, et hortatio amicorum, ad quae in singulis fere Praefationibus appellat. Sic, e. g., jussu Damasi Papae, anno 383. Romae quatuor Evangeliorum, et deinde amicorum suasu reliquorum N. T. librorum correctionem absolvit; ac tandem intra annos 390.-405. maximam V. T. partem de hebraeo in latinum sermonem transtulit.

205. *Regulae*, quas s. Hieronymus in corrigendis, interpretandisque Scripturis sequebatur, praecipuae hae sunt:

1ª. Fideliter, at minime serviliter textum originarium reddebat. „Hoc tantum probare volui, inquit, me semper ... non verba, sed sententias transtulisse." Et „Non debemus sic

[1]) *Apologia advers. Rufin.* lib. III. „Lectis litteris."

verbum de verbo exprimere, ut dum syllabas sequimur, perdamus intelligentiam."

2ª. Ne nimia novitate lectores offenderet, tum versionis LXX. consuetudini in his, quae non multum ab hebraicis discrepabant, tum Italae se coaptavit. „Ita, ait, calamo temperavimus, ut his tantum quae sensum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur ut fuerant." Idcirco ipse Hieronymus Psalterium, quod, postulante Sophronio, ex *hebraeo* transtulit, ne in Ecclesiis quidem legi, sed tantum ad confutandos Judaeos adhiberi voluit. „Ex quo, inquit, perspicuum est sic psallendum ut nos interpretati sumus (primis, sed praecipue secundis curis) [cfr. n. 201.] Et tamen sciendum quid hebraica veritas habeat. Hoc enim quod Septuaginta transtulerunt propter vetustatem in Ecclesiis decantandum est, et illud ab eruditis sciendum propter notitiam Scripturarum."

3ª. Ubi non erat damnum in sensu, elegantiam latini sermonis conservabat. „Hoc sequimur, ut, ubi nulla est de sensu mutatio, Latini sermonis elegantiam conservemus.... Eadem igitur interpretandi sequenda est regula, quam saepe diximus, ut ubi non sit damnum in sensu, linguae, in quam transferimus, εὐφωνία et proprietas conservetur." Secus autem ne vitia quidem linguae curabat. „Illud autem, scribit, semel monuisse sufficiat, nosse me cubitum et cubita neutrali appellari genere: sed pro simplicitate et facilitate intelligentiae vulgique consuetudine ponere et genere masculino. Non enim curae nobis est vitare sermonum vitia, sed Scripturae sanctae obscuritatem quibuscumque verbis disserere." (*Commentar.* lib. XII. *in Ezechiel* cap. XL.)

206. *Dotibus* perquam exquisitis ad perficiendum grande opus correctionis, versionisque Scripturarum s. Hieronymus instructus erat. Vir quippe acris ingenii, ac laboris improbi multarum linguarum (etiam chaldaicae, syriacae et arabicae) cognitionem, et rerum humanarum divinarumque multijugam

scientiam sibi comparaverat. Nullis parcebat sumptibus tum ut eruditissimos magistros etiam Judaicos, tum ut optimos codices sibi compararet. Palestinam et Aegyptum peragravit, ut facta in Scripturis descripta in ipsis locis, ubi evenerant, conferret. Cum his omnibus naturae et artis subsidiis jungebat asperrimum vitae genus, tenerrimamque pietatem. Denique adhibebat ipse orationem assiduam, et quam creberrime alienas orationes efflagitabat, ut eodem spiritu, quo scripti sunt libri sacri, eos posset in latinum transferre sermonem. Meritissimum igitur illud s. Prosperi Aquitani de Hieronymo elogium:

„*Hebraeo simul et Grajo, Latioque venustus*
Eloquio, morum exemplar, mundique magister."

Quare seu vitae probitatem, quae ad intelligenda Scripturae arcana conducit plurimum, seu linguarum notionem, seu rerum divinarum ac humanarum scientiam, aliave subsidia hermeneutica spectes, non facile quemquam duxeris exaequandum cum Hieronymo, quem „Deus Ecclesiae suae in exponendis sacris Scripturis Doctorem maximum providere dignatus est." Quare ultra Hieronymi translatio atque correctio, tametsi non sit omnibus numeris absoluta — humanum enim „nihil est ab omni parte beatum" — tamen reliquis omnibus longe praestat. Quod post s. Isidorum Hispalensem, qui ineunte saeculo VII. floruit, non solum catholici, sed et recentiores plerique acatholici fatentur.

Repetitio puncti II., de versione Hieronymiana.

207. S. Hieronymus ab an° 383.-405. Novum T. graecae fidei reddidit, V. juxta hebraicam transtulit, motus a). mendis Italae; b). scopo polemico adversum Judaeos; c). jussu Damasi Papae, et hortatu amicorum; fideliter sed non serviliter, sese coaptans consuetae lectioni, et eleganter, nisi

in utroque casu damnum in sensu. Naturâ, et gratiâ aptissimus ad tantum opus, illud etiam egregie perfecit „mundi magister."

III.

De Vulgata nostra latina.

208. Vulgata nostra constat ex versionibus Itala et Hieronymiana. Encomia igitur, quae his versionibus dantur, etiam Vulgatae nostrae congruunt.

209. Speciatim in Vulgata nostra habemus

1°. *Versionem Hieronymi* omnium Veteris T. librorum protocanonicorum (uno excepto Psalterio), et deutero-canonicorum librorum *Tobiae* et *Judith*, ac fragmentorum *Daniel* et *Esther*.

2°. *Italam* ab Hieronymo vel a). *emendatam*, ut res est de Psalterio nostro, quod dicitur *Gallicanum*, et de universo N. T.; — b). *non emendatam*, uti obtinet quoad libros *Sapientiae*, *Ecclesiastici*, *Machabaeorum*, et *Baruch cum epistola Jeremiae* eidem annexa.

IV.

De veteri Vulgata latina editione, ut per Concilium Tridentinum authentica declarata est.

210. *Tridentinum Decretum* „de editione et usu sacrorum librorum" quatenus huc spectat, ita sonat: *Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et Vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus, pro authentica habeatur; et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat.*"

211. Ad intelligentiam deinceps dicendorum, quinimo ad

accurate definiendum statum, et momentum quaestionis *h. l.* pertractandae, habito etiam respectu Protestantium, qui recitatum decretum omni modo olim impugnarunt, et nonnulli adhuc impugnant, imprimis exponenda venit accurata notio, et divisio *authentiae*. Atqui vi nominis Αὐθεντία significat *auctoritatem*, et αὐθεντικον importat *auctoritate munitum*. Quapropter in Jure vox „*authenticum*" translata est ad significanda documenta, praesertim publica, quae auctoritatem, seu, fidem faciunt in judicio. Porro a Jurisperitis Theologi hanc vocem mutuati sunt ad designandum *scriptum legitima auctoritate munitum, quod*, exortâ lite, *in judicio fidem facit, adeo ut rejici, imo ne in dubium quidem vocari a quoquam merito queat.*

212. *Divisio authentiae.* Comparate ad sacrae Scripturae libros, ad tramites Em^mi^ Card. Franzelin, imprimis distingui debet authentia *originalis*, et *conformitatis*.

Authentia *originalis* spectat ad textus originales autographos Scripturarum, et revocatur ad auctoritatem auctoris eorumdem principis, qui est ipse Spiritus Sanctus, quo inspirante sacri auctores scripserunt libros primigenios Scripturarum. Itaque, quum ipsi libri integri cum omnibus suis partibus, hoc ipso quod in canone Tridentino recensentur, noscantur esse sacri et divinitus inspirati, atque hoc ipso etiam constet de eorumdem auctorum (sive hi nobis cogniti sint, sive ignoti) auctoritate *metaphysica*, ideo quaestio de librorum Scripturae authentia *originali* coincidit cum quaestione de eorumdem *genuinitate*, atque hae duae voces, quamvis earumdem notiones proprie diversae sint, saepius confunduntur, sive, synonimice adhibentur.

Authentia *conformitatis* proprie dicta, supponens authentiam originalem, pertinet ad librorum Scripturae apographa et versiones originalibus *conformia*, atque adeo proprie consistit *in convenientia exemplarium transscriptorum, et versionum cum Scripturae libris originalibus.* Itaque authentia *conformitatis* Scripturarum in exemplaribus descriptis coincidit cum eorumdem

integritate, quae certe *substantialem* corruptionem excludit; — et in versionibus cum *fidelitate*, seu, *sinceritate* tali ut sensus Scripturae originalis fideliter sit expressus.

Itaque ultrà, Scripturarum originalium apographa integra, et versiones fideles *in se* eamdem habent auctoritatem ac ipsae Scripturae originales, tametsi hae ab auctoribus inspiratis, illa autem per humanam industriam confecta sint.

Ratio patet attentâ distinctione inter *scriptores* et *auctorem principem* librorum sacrorum. Etenim Scripturae in apographis, et in versionibus, quantumvis per humanam industriam factis, dummodo in his sensus textûs originalis integre, et sincere sint expressi, non minus quam in textu et forma primitiva sunt et manent *verbum Dei*, libri quorum *Deus est auctor princeps*; quia *pars formalis*, seu, *essentialis*, cujus ratione certo certius *Deus* est *auctor Scripturarum*, in apographis, et versionibus humanis quidem, sed tamen integris, et fidelibus manet eadem, et solum pars *materialis*, quae est *scriptoris* humani, aliter se habet. Discrimen tantummodo illud intercedit, quod in auctore *inspirato* propter et per divinam assistentiam, qua in toto opere perficiendo gaudet, *a priori* certum est *partem materialem* respondere *parti formali*; hoc autem in descriptore, et interprete suis humanis viribus permisso, non nisi *a posteriori*, seu, ex facto constare potest. Repete dicta n. 44. 45. 55. 74. sub 4°., et cfr. Em^mus^ Franzelin p. 526. in nota. Speciatim igitur Vulgata nostra, certè in rebus fidei et morum, eamdem habet auctoritatem divinam ac ipsa Scriptura originalis, etiam *quoad nos*, ut ex mox dicendis patebit.

213. Authentia Scripturarum a multis Theologis condividitur in *internam* et *externam*. — Authentia originalis interna est ipsa auctoritas, quae Scripturis inest ratione auctoris earumdem principis, adeoque *constituitur ipsâ inspiratione Scripturae*. Authentia autem *conformitatis* interna est *ipsum factum conformitatis* apographorum et versionum cum originalibus

Scripturae libris inspiratis. Utraque haec authentia, sc. tam *conformitatis*, quam originalis interna, libros Scripturae constituit authenticos *in se* et *quoad se*.

Authentia vero Scripturarum externa proprie dicta est *ipsius internae authentiae manifestatio*, seu, *declaratio facta per publicum et infallibile Ecclesiae magisterium* solemne vel ordinarium, quod libros Scripturae in et ex sese authenticos, etiam tales facit *quoad nos*.

214. *Scholion* 1um. Dr. 1°. „Authentia Scripturarum externa *proprie dicta*" etc. Quum enim Scripturae ex ipsa Dei earumdem auctoris destinatione instrumenta sint publica, quibus Ecclesia tota regatur, facile patet, quod mere critica et historica manifestatio authentiae non constituit authentiam externam Scripturis convenientem. Talis enim manifestatio est solum privata, pertinens ad paucos qui scientificae demonstrationi idonei sunt, atque quatenus singuli eam ipsi intelligunt.

Dr. 2°. „Per magisterium *solemne* vel *ordinarium*." Atqui quia authentia interna solemniter declaratur per judicium, sive, decretum Ecclesiae expressum et explicitum, hinc haec authentia externa vocatur ab aliis *judicialis*, ab aliis *expressa* aut *explicita*. Quae vero declaratur per ordinarium Ecclesiae magisterium, sive, per constantem publicum alicujus editionis in Ecclesia usum, ab aliis authentia externa *vulgaris*, ab aliis *implicita*, nonnumquam *aequivalens* appellatur, quia satis authentiam manifestat simplicem, praescindendo a gradu perfectionis. Ceterum cfr. n. 15.-17.

215. *Scholion* 2um. Authentia externa supponit et includit internam; non potest enim esse externa *sine* interna; adeoque hanc Ecclesiae declaratio non efficit, sed jam praeexistentem manifestat. (Cfr. n. 85.-89., ubi similia quaedam occurrunt).

216. Tandem authentia *conformitatis* subdividitur in *absolutam*, seu, *omnimodam*, et *respectivam*, seu, *partialem*. Absoluta exigit omnimodam convenientiam cum autographo quoad partes tum *essentiales*, tum *accidentales*, imo nominatim in versionibus etiam quoad vim, claritatem et elegantiam textui originali insitam. — *Respectiva* vero tantum requirit sinceram convenientiam cum libris Scripturae originalibus quoad partes *essentiales*, i. e., hic per se intentas ab auctore,

et in *accidentalibus* simpliciter quoad rei summam. (Recole dicta n. 48. et 137.)

217. *Status, et momentum quaestionis h. l. pertractandae*, maxime habito respectu ad Protestantes. Quaestio hìc est de *judiciali*, sive, *expressa*, *explicita* (cfr. n. 214.) authentia Scripturarum, quibus utimur. Nobis quidem quaestio ea jam magna ex parte soluta est. Ecclesiae quippe explicita definitio de inspiratione et canonicitate librorum Scripturae *prout* in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata habentur, jam erat *implicitum* judicium authentiae, i. e., saltem simplicis *conformitatis* eorumdem cum Scripturae libris originalibus (n. 43. 45. 137.) Porro Vulgata nobis et *explicitâ* authentiâ ex praesenti Concilii Tridentini decreto infallibiliter certo praepollet. At vero Protestantibus orthodoxis tota quaestio posita solvenda manet. Dato enim libros sacrae Scripturae fuisse divinitus inspiratos, id per se tantum valet de exemplaribus autographis. At haec jam dudum perierunt. Utuntur igitur, uti nos, apographis, et versionibus, iique quidem ut plurimum vernaculis. Quis autem eos — prout oportet — securos reddet de eorum *conformitate* cum Scripturis originalibus? vel ipsa quaestionis positione patet, eam maximi omnino momenti esse sequacibus Novatorum saeculi XVI., quibus nulla est fidei divinae regula praeter Scripturam. Imo vere eò gravior iis haec quaestio, quod secundum eorum principia vere inenodabilis est. Protestantes enim ex suis principiis abnegant infallibilem Ecclesiae Romano-Catholicae auctoritatem publicam, nec ullam talem in sua communione agnoscere possunt, sed certe theoretice docent, singulos in rebus fidei et morum suo regi debere judicio proprio. Atqui hoc ipso apud eos nulla esse potest proprie dicta authentia externa, sed critica dumtaxat et historica, quae suâpte naturâ privata est, ad scholam pertinet, et proin ad paucos. (Cfr. n. 214.) Namque longe maxima pars hominum impar est scientificis et adeo difficilibus inquisitionibus. Porro qui istiusmodi disquisitionibus idonei

sunt, adhibitis etiam omnibus subsidiis criticis et historicis, non possunt vèl humanitùs, nedum certitudine fidei, qualis in casu requiritur, certi fieri de authentia *integri* canonis Scripturarum, quas in suo ab Ecclesia Romana recessu retinuerunt. Certe in apostolicis Scripturis testimonium divinum ne de inspiratione quidem *integri* catalogi librorum, *quos admittunt*, habetur, et nullum prorsus de apographorum et versionum cum originalibus convenientia. Protestantibus igitur vere lugubris, neque ulla alia gravior quaestio. Ipse Beza ejus vim perspexit, sensitque necessitatem determinandi in quanam tandem versione, inter tot quae suo tempore prodierant discordes, tuto inveniri posset sincerum verbum Dei, atque propterea in *Praefat. N. T.* a se translati *reges et principes* monet „nihil habere antiquius, quam ut utriusque T. interpretatio semel ederetur, cujus, quoad fieri potest, sacra et inviolata esset auctoritas." Inane profecto, ne dicam ridiculum istiusmodi votum est secundum ipsa principia Protestantium fundamentalia. Frustra enim Protestantes tale quid petunt a regibus et principibus, utpote quibus hac in re a Christo Domino nulla est concessa auctoritas, et idem dic de eorum Synodis, Consistoriis, et quae hujusmodi cetera sunt humana collegia; et vel a fortiori, ut proxime habitum est, ab argumentis criticis. Nobis autem res tota plana est et tutissima ex infallibili Ecclesiae magisterio. Discrimen igitur inter Protestantes et Catholicos etiam hac in re tandem eo totum recidit, quod illi rejiciunt Romano-Catholicae Ecclesiae, ex perpetua eidem ab ipso Christo promissa et asserta assistentia Spiritus Sancti, auctoritatem infallibilem, ideoque — si suis quidem principiis constant — in perpetua dubitatione necessario vel de gravissima ac plane capitali hac quaestione fluctuant; nos autem ex testimonio Ecclesiae docentis, nominatim ex decreto Tridentino infallibiliter certi sumus de authentia librorum Scripturae, prout in veteri vulgata latina editione habentur.

218. Decreti *occasio* extiterunt plurimae, quae tempore Concilii circumferebantur latinae editiones. — Inde quidem a saeculo VI., aut certe VIII. usque ad exortum Protestantismum, Vulgata communi omnium plausu recepta fuerat ut versio fidelis, et optima. (Cfr. n. 198.-200. 205. 206. 208.) Interim ex incuria et inscitia tum librariorum, tum eorum qui ex prisco usu Italam cum Vulgata confundebant, vel codices glossis desumptis e locis parallelis, aut ex libris liturgicis augebant, Vulgatae variantes lectiones enatae sunt, et in ejusdem codices, atque, inde ab inventa saeculo XV. arte typographica, in editiones ejusdem plura menda *accidentalia* irrepserant. In signum autem venerationis qua Vulgatam prosequebantur, inde a saeculo VI. post Cassiodorum, vitiis his emendandis, et deinceps pro virili portione praecavendis singulo pene saeculo, usque ad, imo per ipsa tempora exorti Protestantismi plurimam operam navarunt viri doctissimi, et a saeculo XIII. Universitates ac Familiae religiosae [1]). Verùm exortis Novatorum saeculi XVI. haeresibus quam plurimae aliae versiones latinae [2]), ex hebraeo vel graeco textu plerumque stylo magis classico elaboratae circumferri coeperunt, etiam haereseos veneno infectae. Eapropter multi ancipites haerebant quamnam ex omnibus illis versionibns am-

[1]) Saec. XIII. enata sunt, quae vocantur, *Correctoria biblica*, sive, *Epanorthotae*, i. e., Codices latinae Vulgatae *in pristinum statum restitutae*, cum amplo margine, in quo adnotatae leguntur variantes lectiones ex antiquis codicibus, ex operibus Patrum, et observationes e textu hebraico vel graeco, cum judicio de lectionum *valore critico*. Ex iis notiora sunt *Sorbonnicum*, sive, *Parisiense* (Sorbonnae Univ.); — *Dominicanorum*, auctore Hugone a s. Caro (cognominato a pago, in quo natus est, gallice „Chèr"), et *Franciscanorum*.

[2]) Tales versiones ediderunt puta e catholicis *Erasmus* (N. T. e graeco, Basilaeae 1519.), Aug. *Steuchus*, Epcus Eugibinus (Pentateuch., Job et Psalt., Venet. 1529.), *Santes Pagninus*, O. Praedic. (totam Script. 1493.-1518., sed demum 1527. Lugd. editam), *Isidorus Clarius* (totam Script., Venet. 1542.), *Cajetanus*, alii. Ex acatholicis v. g. *Andreas Osiander* (1522.), *Luther* in *Bibliis*, ut vocant, *Wittenbergensib.* 1529., *Conrad Pelican* (Tig., i. e., Zurich 1532.), *Sebastian Münster* (Basil. 1534. V. T. ex hebraeo), *Leo Juda* et *Bibliander* (Tig. 1543.), *Sebastian Castellio* (Basil. 1551.), aliique.

plecterentur, eo vel magis quod haud pauci praesertim acatholici multa in Vulgatam cavillari solebant, eamque omnibus modis praecipue propter stylum simplicem, vulgarem deprimere conabantur, quod vel non perciperent vel despectui haberent rationes sapientissimas propter quas s. Hieronymus consuetudini Italae, imo et vulgi sese coaptaverat. (Cfr. n. 205.)

219. Decreti *scopus* generalis et polemicus, teste Pallavicino, *l. c.* lib. VI. c. XII., fuit provide malis, n° praec. delineatis, remedium afferre. Ejusdem autem scopus dogmaticus directus et proximus idem est ac decreti de canonicis Scripturis, uti et idem est *principium*, cui in edendo utroque decreto Patres Tridentini innixi sunt. Itaque *h. l.* sufficit remittere ad superius cap. III. §. IV. declarata. Quinimo decreta explicita de inspiratione, et canonicitate Scripturarum, atque de authentia earumdem in veteri vulgata latina editione, ac demum de earumdem *in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium* interpretatione in eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, in una eademque sessione IV. ediderunt, ut proin quatuor haec decreta evidenter faciant unum contextum, atque Concilii Patres et scopum suum generalem, et specialem, itemque principium praesentis sui decreti aperte enunciare potuerint hisce verbis: „Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans *non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei*, si ex omnibus latinis editionibus quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, *ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu* (saltem, *novem*, computatione factâ a saeculo VII.) in ipsa Ecclesia (*immediate* Latina, imprimis Romana, quae mater est et magistra omnium ceterarum Ecclesiarum, adeoque *mediate* etiam in Ecclesia Graeca, seu, Orientali) probata est .... pro authentica habeatur."

220. De decreti *indole* dogmatica vel disciplinari Theologi

inter se discrepant. Instituto nostro plane satisfit referendo utriusque sententiae argumenta potissima. — Atqui recentiores, utputa Georgius Hermes, Dr. Joan. Leonard. Hug, cl. Carolus Vercellone (apud *Rev. cathol.* 1866. p. 648. 49.), et alii pauci, quo probent decretum *disciplinare* esse, potissima sua argumenta depromunt

1°. ex decreti *inscriptione*, quae sonat „*de editione et usu* sacrorum librorum"; adeoque est de agendis, non de credendis; quam conclusionem confirmant 2°. ex hisce decreti *terminis* „statuit . . ut Vulgata . . *in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus* pro authentica habeatur." Itaque nihil proponit credendum, sed praxim solam externam eamque publicam respicit. Quod stabiliunt 3°. ex *natura rei*: authentia enim, inquiunt, cum sit qualitas juridica non nisi *extrinseca* esse potest, et solum forum externum respicit. 4°. Ex *motivo* decreti quae est *utilitas* Ecclesiae, non integritas seu conservatio fidei. 5°. Ex *historia* Concilii, sive, *intentione Patrum Tridentinorum.* In sessione III. namque statuerant, in qualibet sessione eas disciplinae leges, fideique dogmata conjungi posse, quae sibi mutuo responderent. Post paratum igitur decretum dogmaticum de canonicis Scripturis, Patres „uti decreto insisterent adjungendae negotio fidei morum emendationis" (i. e., decretum disciplinare), varios adsignarunt eliminandos abusus circa libros sacros, quorum „primus erat, tanta versionum varietas, quâ divini verbi veritas reddebatur incerta. Huic malo visum erat occurri posse unicâ ex cunctis versionibus (latinis) tamquam legitimâ constitutâ; eâ videlicet quae maximam obtinebat auctoritatem ex Ecclesiae usu communi, adeoque Vulgata nuncupabatur." Ita Pallavicinus, lib. VI. cap. VII. per totum, et cap. XII. n. 2. 3. Res haec confirmatur ex litteris Card. Cervini, legati Pontificii in Concilio, ad Maffeium, secretarium Card. Farnesii, qui praeerat Congregationi de rebus Concilii Romae constitutae: „Uti videbis ex litteris communibus, celebrata fuit sessio, et factum decretum de receptione Scripturarum et dogmatum. . . Huic decreto adjuncta est altera pars pertinens *ad reformationem* abusuum qui occurrebant circa dictam Scripturam." (Apud Vercellone, *Dissert. academ.* p. 79. 80.)

Nullum de his argumentis judicium interponentes, unum id adnotamus, decretum Tridentinum *de editione et usu sacrorum librorum*, certe duo complecti praecepta, quae, nemine diffitente, *disciplinaria* sunt, videlicet a). „ut posthac s.

Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et vulgata editio, quam emendatissime imprimatur"; b). „nullique liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris (i. e., ex declaratione S. C. Inq. 22. Dec. 1880., de libris sacrarum Scripturarum, necnon de earumdem adnotationibus et commentariis, cfr. *Nouv. Rev. Théol.* T. XV. p. 234. et 242.) sine nomine auctoris: neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, *sub poena anathematis*, et pecuniae in canone Concilii novissimi Lateranensis apposita" etc. Quomodo autem *poenam* hanc Pius IX. *Constit. Aplic. Sedis* moderatus sit, dilucide explicat *Tract. de Censur. in particulari*, ed. 2ae. p. 118.

221. Card. autem Franzelin etiam in 2a. et 3a. praeclari sui operis editione anni 1875. et 1882., docet decretum praehabitum censendum esse *dogmaticum*, idque in *Corollario* 1°. ex thesi XVIII. infert, et in hunc fere modum declarat.

Generatim factum dogmaticum illud audit, quod non quidem *immediate* in se revelatum est, sed cum veritate revelata intime nectitur ità, ut illud in dubium vocari aut negari nequeat, quin simul ipsa veritas revelata periclitetur. Celeberrimum istiusmodi facti exemplum habes in definitione R. Pfeum Innocentii X. et Alexandri VII. in libro Cornelii Jansenii, cui titulus est „Augustinus", contineri quinque propositiones haereticas; hoc quippe eorum decretum sine ulla dubitatione non disciplinare, sed vere dogmaticum est. Atqui authentia interna *conformitatis* Vulgatae cum textibus originalibus Scripturarum est factum eminenti sensu dogmaticum. Ergo et decretum, quo haec authentia declaratur, non disciplinare, sed ex natura sua vere dogmaticum est.

Declaratur min. 1°. Decretum de canonicis Scripturis recipiendis, prout in veteri vulgata latina editione habentur, ipsis fatentibus adversariis, erat expressum judicium de dogmate revelato, libros recensitos integros cum omnibus suis partibus ab origine sua esse divinitus inspiratos, et insuper, at saepe dicebamus, judicium *implicitum* de facto dogmatico simplicis saltem *conformitatis* eorumdem cum textibus primigeniis in hac veteri vulgata latina editione longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata.

Itaque etiam decretum quo *explicite* authentia Vulgatae declaratur, dicendum est decretum *dogmaticum*, definiens sc. factum *conformitatis* editionis Vulgatae cum textibus originariis

ita, ut sub hac forma vere permanserint et habeantur in Ecclesia Dei sacrae Scripturae libri divinitus primum inspirati.

2°. Profecto namque hujus facti veritas intime nexa est non solum cum uno alterove dogmate particulari, sed cum omnibus dogmatibus, quae, ut in Scripturis revelata, per novem saecula, et inde iterum a celebrato Tridentino Concilio usque ad hanc ipsam diem, Ecclesia probavit, omnibusque credenda proposuit. Si enim, ut exemplo quod supra commemoravi, iterum insistam, vere dogmaticum decretum est, in libro Jansenii contineri quinque propositiones haereticas; ergo *a fortiori dogmaticum* est decretum, quo Patres Tridentini declaraverunt, veterem et vulgatam latinam editionem pro authentica habendam esse, h. e., exhibere sincerum verbum Dei Spiritu Sancto inspirante scriptum, quali et ipsi Patres Tridentini et ss. Pontifices in confirmandis dogmatibus, et instaurandis in Ecclesia moribus revera usi sunt.

Quod autem in decreto Tridentino ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, Vulgata pro authentica habenda declaratur nominatim „*in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus*" „hoc — ut verbis integris utar Card. Franzelin — certe non tollit valorem dogmaticum. Aliud esset, si intelligeretur pro hujusmodi actibus solemnioribus usus Vulgatae praescriptus prae textibus aliis genuinis e. g. prae originalibus; haec posset dici *consecutio disciplinaris* deducta ex decreto dogmatico. Concilium vero hunc usum Vulgatae in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus certe non praescripsit ad exclusionem textuum originalium, sed secundum eum modum, ut authentia Vulgatae non in discrimen vocetur, sed integra retineatur, ac nemo illam rejicere quovis praetextu audeat. Sub hac vero ratione jam praescriptio et prohibitio non est disciplinaris, sed est pro determinatis actibus applicatio authentiae dogmatice declaratae."

222. Decreti *objectum* est sola vetus et vulgata latina editio ex omnibus, quae tempore Concilii Tridentini circumferebantur *latinis* editionibus. Non solum autem ex verbis Concilii proxime iteratis, sed et ex ejusdem historia (*Pallavic.* l. VI. cap. XV. XVII. n. 5. 8.), ac testimoniis Theologorum, qui eidem interfuerunt utputa Judocus Ravesteyn Tiletanus, Andreas Vega, aliique [1]), constat authentiam Vulgatae non

[1]) Cfr. „*De Katholiek*", 20. d. (1851.) p. 245.

esse a Concilio Tridentino declaratam comparate ad textus originales, hebraeum et graecum, neque ad versiones antiquas, puta LXX., chaldaicas [1]), syriacas [2]), aliasque hujusmodi, et multo minus ad horum usum, et auctoritatem excludendam [3]), uti tamen, his omnibus argumentis non obstantibus, Protestantes quidam [4]) nobis objicere non desistunt.

223. *Scholion.* Manserunt ergo illi textus et antiquae versiones in tota externa auctoritate, qua gaudebant ante editum decretum Tridentinum de authentia Vulgatae, quod de illis nullam expressam mentionem facit. Porro quamvis nullo expresso Ecclesiae decreto declarata sit authentia textuum originalium, ut nobis adhuc praesto sunt, de eâ tamen certo constat non solum critice et historice (cfr. n. 170.-173. et 176.), sed de authentia simplici, seu, quoad rei summam, etiam dogmatice. Ipsa enim Vulgatae authentia, quae solemni decreto declarata est, supponit authentiam textus hebraici et graeci, saltem ut in omnibus exemplaribus simul sumptis in Ecclesia Dei adhuc extat et dignosci potest. Ad quam intimam connexionem cum Vulgatâ accedit quoad textum graecum novi T. ipse multorum saeculorum publicus usus in Ecclesia inde ab aetate Apostolica. Utrumque hoc argumentum suo modo valet etiam pro authentia versionis LXX. „Profecto, inquit Bellarminus, valde male merentur de Ecclesia, qui tam insignem thesaurum

[1]) Quae *Targumim* et *Paraphrases* vocantur a voce aramaica, quae primùm quidem significat *transferre*, sed dein etiam *exponere*, quippe quae textum non tam vertunt, quam circumscribendo exponunt, uti testantur et Dr. Kaulen, *l. c.* n. 130., et Zschokke §. 117.

[2]) Quarum praecipua et antiquissima est *Peschito*, i. c., *simplex*, *perspicua*, vel etiam *litteralis* orginalium textuum exhibitio, quamvis reipsa non tam verba quam sensum eorum reddat, uti statim laudati A. adnotant n. 136. 137., et §. 119.

[3]) Ut omnibus pateat, usum textuum originalium per decretum Tridentinum ne ipsis quidem Pastoribus ut verbi Dei concionatoribus prohibitum fuisse, appellare sufficit ad s. Carolum Borromaeum, testem omni exceptione majorem, utpote quo, uti scribit Benedictus XIV. *De Synodo* lib. XI. cap. XIV. „non fuit alius Concilii Tridentini fidelior interpres." In ipsis namque *Instructionibus Pastorum* Part. I. cap. XI., s. Carolus conceptis verbis docet: Concionator „ne a veteri, vulgataque Bibliorum editione, perpetuo sanctae Ecclesiae usu comprobata, in proferendis divinarum Litterarum sententiis discedat, sed illam pro authentica habeat, ut decreto Tridentino cavetur. *Ad planiorem tamen illius explicationem uberioremque, uti etiam licebit Graeca et Hebraica lectione.*"

[4]) Cfr. „*De Katholiek*", *l. c.* a p. 236. „Professor P. J. Veth over de Latijnsche Vulgata."

illi eripiunt, quique de scriptis originalibus Apostolorum et Prophetarum tam contemptibiliter loquuntur, ut ea authentica esse negare non vereantur." — Ad haec tamen sedulo animadverte: 1°. Non eamdem vigilantiam catholicae Romanae Ecclesiae, et ex multis jam saeculis non eumdem publicum usum ad textum graecum, multoque minus ad textum hebraicum referri sicut ad Vulgatam latinam; quapropter multo magis certi sumus de Vulgatae latinae integritate, quam ipsorum textuum originalium, et versionis LXX. ut haec nobis adhuc praesto sunt. 2°. Auctoritate Ecclesiastica non eodem modo nobis constare de authentia, et praesertim de gradu et extensione authentiae praesentium textuum originalium et versionis LXX., quo haec nobis constant de Vulgata latina editione. Etenim illis per usum Ecclesiae accessit tantummodo authentia *vulgaris*, et *simplex* indiscriminatim quoad loca sive *per se*, sive *per accidens* dogmatica, dum Vulgata vi decreti Tridentini insuper pollet authentia *judiciali*, uti omnino videtur, in eo gradu specifice determinato, ut in *omnibus* et *singulis locis per se dogmaticis* certe substantiam dogmatum, quae in primitus inspiratis Scripturis continebantur, fideliter referat. Cfr. n. 147. sub II. 3°., et infra a n. 225.

224. Circa *extensionem* decreti Tridentini de authentia Vulgatae eadem quaestio redit ac quae jam cap. praecedenti a n. 125. et 137. tractata fuit de extensione decreti circa canonicitatem librorum sacrorum cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in Vulgata habentur. Uti enim *l. c.* dictum est, nonnulli veteres Theologi contenderunt, *vi definitionis Tridentinae* tenendam esse Vulgatae editionis nostrae conformitatem cum textibus primigeniis *indiscriminatim* in *omnibus* etiam minimis incisis et particulis; aliis verbis: propugnarunt per Concilium Tridentinum declaratam esse Vulgatae versionis, certe ut curâ Pontificis edenda erat, authentiam ferme absolutam. Hanc eorum opinionem esse *aequo rigidiorem* jam n. 126. generatim probatum est, et speciatim infra a n. 233. probabitur. — Ex adverso nostris temporibus sensus Tridentini decreti in significationem, ut nobis quidem videtur — ait Cardinalis Franzelin — *justo laxiorem* a quibusdam viris eruditis explicatur.

Hi namque statuunt quod *vi decreti Tridentini* sufficit admittere *conformitatem* Vulgatae cum Scriptura primitus inspirata ita, ut universim maneant quoad substantiam libri identici, quodque, salva hac *indeterminata substantiali conformitate*, per decretum Tridentinum de *singulis* locis cujuscumque argumenti *etiam per se dogmatici* nihil definitum est, sed genuinitatis, seu, authentiae agnitio vel negatio ab examine critico pendere debet.

225. *Legitimus decreti sensus* inter utrasque relatas sententias extremas medius, adeoque simul vera decreti *extensio*, omni salvo meliori, hac propositione videtur statuenda: *Synodus Tridentina suo decreto veteris et vulgatae latinae editionis authentiam conformitatis cum Scriptura primitus inspirata legaliter declaravit determinate in omnibus et singulis textibus per se dogmaticis, non tamen in gradu supremo, sive, non quoad modum quoque enunciationis dogmatum; et in ceteris, nempe, in locis per accidens dogmaticis in gradu simplici, sive, quoad rerum summam, seu, substantiam*, i. e., — atque eodem sensu accipe quae n. 137. diximus — non quoad singulas quidem partes, sed quoad omnes istiusmodi generis partes, quae si abessent, res, de quibus in determinato loco agitur, summatim non identicae manerent, sed omnino diversae exhiberentur.

226. Porro ad omnem, quantum fieri potest, ambiguitatem excludendam, merito quaeritur: *Quaenam determinatim illa sint, undeque dignosci queant, quae ad textus per se dogmaticos*, sive, *ad aedificationem doctrinae christianae pertinent?*

Ad quam quaestionem respondemus: Ea saepissime vel ipsa obvia lectione innotescere. Ceterum, imprimis respiciendum esse, utrum circa determinatum hunc vel illum locum extet declaratio Ecclesiae, vel unanimis consensus ss. Patrum. Ubi autem haec desunt, recurrendum esse ad cetera subsidia hermeneutica, cum externa, tum interna, ut noverimus utrum determinatus hic vel ille locus ad res fidei vel morum per-

tineat, nec ne, adeoque utrum *per se*, vel *per accidens* dogmaticus habendus sit.

E. g. inter locos *per se* dogmaticos, prout in veteri vulgata latina editione leguntur, absque dubio computanda sunt generatim historiarum saltem summa, sive, complexus, et speciatim textus agentes de facto peccati Adae, vocationis Abrahae et Moysis, glutionis prophetae Jonae per piscem grandem, agentes de mysterio SS. Trinitatis (imprimis, ut videtur, comma *Joanneum*), de Christi incarnatione et nativitate, harumque circumstantiis, ut quod Angelus Gabriel missus fuerit ad B. Virginem, quod Pastores recens natum Salvatorem adoraverint in praesepio, quod auditus sit concentus Angelorum, quod B. Virgo visitaverit Elisabeth, quod Magi stella duce venerint ab Oriente, et quae similia sunt; item de transfiguratione, morte, resurrectione Christi, de institutione sacramentorum, de futura resurrectione, etc. etc.

Contra ad textus *per accidens* dogmaticos certe pertinent plurima infima adjuncta historica, geographica, chronologica, uti et quae spectant ad physicam, zoologiam, botanicam, mineralogiam; necnon quae ad vitam, prudentiam, mores in ordine naturali ac civili etc. Praeter exempla n. 48. ex s. Thoma prolata, istiusmodi sunt v. g. adjuncta ut leguntur in Vulgata quod Adam usque ad generationem Seth vixit centum triginta annis (*Gen.* V. 3.), et patriarchae reliqui tot annos vixerint, quot in Vulgata numerantur (chronologia namque in annis patriarcharum secundum LXX. diversa ab ea quam habent textus hebraeus et Vulgata, conservata est in Martyrologio Romano); quod numerus occisorum post adoratum vitulum aureum erat quasi viginti tria millia hominum (*Exod.* XXXII. 28.); quod virgultum sub quo dormivit Jonas (IV. 6.) erat hedera, et alia innumerabilia.

227. Porro pars restrictiva ista: „*non tamen in gradu supremo*", *generatim* importat, quod vi decreti etiam in locis *per se* dogmaticis sufficit agnoscere *conformitatem* Vulgatae cum

primigenia Scriptura *quoad substantiam dogmatum*; aliis verbis: quod dogmata expressa in veteri Vulgata fuerint etiam expressa in Scripturis originalibus, tametsi quandoque utrimque *alio modo* enunciata sint, sive, ut jam. n. 147. dictum est, possit esse discrimen in modo exprimendi eamdem veritatem, idemque dogma.

228. *Corollarium* 1um. Singillatim igitur *dicimus*:

a). Nullum dogma expressum in veteri Vulgata deerat in Scriptura primigenia.

b). In nullo textu per se dogmatico Vulgatae aliud dogma exprimitur quam in respondente textu originali.

c). Multo minus dogma quod Vulgata affirmat, textus originalis negat, aut vicissim.

229. *Corollarium* 2um. Sed non dicimus *vi decreti Tridentini tenendum esse*,

a). Dogma singulum in Vulgata *eodem modo* expressum esse, quo expressum erat in textu originali, dummodo dogma ipsum utrobique idem maneat.

b). Nullum dari posse in locis Vulgatae per se dogmaticis errorem versionis, dummodo non sit hujusmodi, qui substantiam dogmatis ita mutet vel obliteret, ut, adhibitis subsidiis necessariis et opportunis, intelligi nequeat.

c). Nullum textum per se dogmaticum extitisse in Scriptura originali, qui desit in editione vulgata. Perspicuum hujus rei exemplum profert cl. H. Hurter, *Theol. dogm. comp.* T. I. n. 189. inquiens: „Ita deest in Vulgata ille textus, quo saepissime usi sunt Patres in disputationibus suis contra Pelagianos et Semipelagianos pro dogmate de necessitate gratiae „*Praeparatur voluntas a Domino*", *Prov.* VIII. 35. secundum LXX., et ille alter *Isaiae* VII. 9. „*Nisi credideritis*, NON INTELLIGETIS."

230. *Corollarium* 3um. Itaque, secundum dicta n. praec. sub a). et b)., non peccaret contra *decretum Tridentinum*, qui solidae rationi innixus putaret in locis quibusdam etiam per se dogmaticis genuinam, veramque adeo lectionem fuisse quidem *accidentaliter* aliam, quam quae in Vulgata occurrit, attamen utramque lectionem *substantialiter* ita inter se convenire, ut tandem enuncient idem dogma, quamvis non eodem modo.

231. Exemplo esse possunt loci plures. Imprimis, si quis contenderet, quod, ubi *Gen.* III. 15. in Vulgata legitur: „*Inimicitias ponam* . . . IPSA (Immaculata V. M.) *conteret caput tuum*", secundum Scripturam originalem legi oportere: „IPSE (qui, ut Ruperti verbis utar, „solus ita semen mulieris est, ut non

etiam viri semen sit") *conteret caput tuum.*" Utrovis enim modo primitus scriptum fuisse dicas, idem dogma promissi Redemptoris, et immaculatae ejus Matris expressum reperies, licet utrimque paulo aliter enunciatum sit. Quandoquidem in plerisque codicibus hebraeis clarius annunciatur *Redemptor*; obscurius pars, quam in opere redemptionis Mater ejus habitura esset. Pars quidem haec in Vulgata clarius significatur, minime tamen *seclusa causa principe*, qui est ipse Christus, Deushomo, ut adeo B^ma^ V. M. unâ cum Illo, et per Illum venenosi serpentis caput immaculato pede contritura praedicetur [1]). Idem est, si quod in Vulgata legitur *Ps.* CIX. ℣. 3. „ANTE LUCIFERUM", cum textu hebraeo Masorethico quis legendum dixerit: „SICUT EX MATUTINO ROS EST, *genui te*". Nam dogma de *aeterna* Filii generatione solummodo clarius expressum est in Vulgata, quam in textu hebraeo, prout hic hodie legitur. Porro sive *Luc.* XXII. 20. legas „*qui pro vobis* FUNDETUR", vel „EFFUNDITUR", utrobique idem exprimitur dogma sacrificii eucharistici *relativi* ad sacrificium crucis. Itemque idem dogma peccati originalis, sive ad *Rom.* V. 12. legendum et interpretandum contenderis: „IN QUO" Adam, vel ex textu graeco „EX EO QUOD, QUIA *omnes peccaverunt.*" Denique si quis illud quod legimus in Vulgata I. ad *Cor.* XV. 51. „*omnes quidem* RESURGEMUS, *sed* NON *omnes immutabimur*", legendum contenderet, uti judice cl. Jos. Corluy [2]), e variis lectionibus graecis vera lectio habet: *omnes quidem* NON DORMIEMUS, *sed* OMNES IMMUTABIMUR, discrepantia non *realis*, sed tantum *verbalis* foret. Nam quovis modo legendum est, idem dogma universalis resurrectionis expressum reperies. In Vulgata enim affirmatur *universalitas* resurrectionis, sive, homines *omnes*, malos aeque ac bonos resurrecturos fore a morte, et negatur *universalitas* resurrectionis *gloriosae*, sive, immutationis omnium in statum gloriosum. Aliis verbis, sensus Vulgatae est: *omnes* quidem resurrecturos esse, at non omnes, sed solos justos immutatum iri in statum vitae gloriosae. In textu autem graeco, si relata lectio inter ceteras ceu vera admittatur, negatur *universalitas* non *mortis*, sed statûs *habitualis mortis*; clarius dico, omnium hominum *notabilis mora in statu mortis*; et affirmatur *universalitas* resurrectionis, seu, immutationis e statu mortalitatis in statum immortalitatis; quae utique *diversa*, sed non *contraria* sunt [3]).

[1]) Lege in Brev. Rom. Bullam dogm. Pii IX. „*Ineffabilis Deus*", praesertim lect. VI., die VII. infra Oct. Imm. Conc.

[2]) In Collegio Lovaniens. S. J., S. S. Prof. in opere, quod inscribitur „*Spicilegium dogmatico-Biblicum*", T. I. p. 330.

[3]) Ceterum cfr. Emmus Franzelin, *l. c.*, p. 536., et Hurter, *l. c.*, n. 189., nota 3a.

232. Post praestituta, adversus utramque opinionem extremam facili negotio suadetur, propositionem, quam n. 225. enunciavimus, genuinum sensum, et veram extensionem decreti Tridentini referre. Prior quidem propositionis pars, quae adversus recentes quosdam eruditos statuit: *vi decreti Tridentini* tenendam esse *conformitatem* Vulgatae determinatim in omnibus et singulis partibus per se dogmaticis, saltem quoad sensum dogmatis, adeoque quod agnitio vel negatio authentiae hujusmodi locorum non ab examine critico pendere debet, jam superius, n. 138.-145., et n. 147. satis confecta videtur. Quum enim expressum decretum de *canonicis Scripturis* simul indirectam et *implicitam* contineat declarationem authentiae librorum Scripturae integrorum cum omnibus suis partibus, *prout in Ecclesia catholica legi consueverunt*, et *in veteri vulgata latina editione habentur*, manifesto eâdem significatione, et extensione determinatim ad omnes et singulas partes *per se* dogmaticas, intelligi debet praesens decretum *de editione et usu sacrorum librorum*, in quo *explicite* declaratur, „ut *haec ipsa vetus et vulgata editio*, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, *pro authentica* habeatur", nominatim in iis actibus, quorum sin unica, certe praecipua pars est exponere, declarare et defendere dogmata christiana morumque regulas, sc. „in *publicis* lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus." Cfr. „*De Katholiek*", 8S. d. 1885. a p. 148.-163.

233. Nonnullorum veterum Theologorum opinionem de vi et extensione decreti Tridentini fuisse aequo rigidiorem, praeterquam ex superius cap. III. n. 126. habitis, patet

1°. ex legitimo *sensu ultimae partis decreti*: „*et ut nemo illam* (Vulgatam) *rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat.*" „Hoc est autem — ita praeclare Judocus Ravesteyn Tiletanus — editionem aliquam *rejicere*, eam de suo loco quem obtinet, destituere et tamquam publico usu et honore indignam rejicere, aspernari et contemnere. Quod non est censen-

dus facere, qui editionem in omnibus Ecclesiis receptam et multorum saeculorum usu approbatam et commendatam sic suscipit et veneratur, ut tamen eam ad fontes diligenter conferat; et ex fonte illustrat quae obscura sunt, et explicat quae ambigua, *aut denique etiam corrigit, ubi* CERTO deprehenditur vel vitium aliquod irrepsisse, vel interpretem Scripturae sensum non plene assecutum, nihil tamen temere aut mutat aut corrigit." Quandoquidem, ut scite ait Serarius, „non statim dicitur bonum aliquod quis *rejicere*, qui plus in eo aliquid desiderat, aut ut sit, elaborat; neque cum *praetextu* aliquid *audere* vel *praesumere*, qui bonâ legislatoris veniâ, verâque legis intelligentiâ, modeste quidpiam quaerit aut facit: prout ex iis quae de *praetextu*, et hac in legibus formula: *Ne quis praesumat*, docere solent Canonici juris Interpretes, perspicuum est." Haec illi *generatim*.

234. *Corollarium.* Facile igitur *speciatim* statues quid posterior ista decreti pars prohibet, ac quid non prohibet.

Prohibet a). ne Vulgatam universim veluti non authenticam rejicias.

b). Ne nominatim in rebus fidei aut morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium eam asperneris quasi ullo esset deformata errore, ex quo perniciosum aliquod dogma colligi queat. Hisce plane concinit Synodus nostra Provincialis, p. 20. edocens: „Cui quidem Tridentinae declarationi refragaretur, qui libros dictae versionis (Vulgatae) identicos esse, quoad rei summam, cum originalibus negaret; vel in textibus ad fidem et morum regulam spectantibus verbum Dei sincere non exhiberi affirmaret."

c). Ne aliquam illius partem, etiam hujusmodi quae *per accidens* dogmatica est, *temere* rejicias aut corrigas.

Contra *non prohibet*, quominus, servata semper, quae universim Vulgatae debetur, veneratione, prudenter sequaris lectionem a Vulgatae lectione diversam non solum in rebus *per accidens*, sed etiam *per se* dogmaticis quoad *modum* enunciationis dogmatis; imo ne praecipit quidem ut Vulgatam in *modo* enunciationis dogmatum et in rebus per accidens dogmaticis necessario habeas ab omni errore immunem.

235. *Scholion.* Ideo autem quod in rebus quae per se non ad fidem vel mores pertinent errata quaedam, et diversitates modorum in enunciatione textuum per se dogmaticorum in

Vulgata agnoscantur, dici nequaquam potest, eam non potuisse jure authenticam declarari, uti nec aliqua veri specie ideo sustineri potest, Ecclesiam decreto suo dogmatico innocuos hos errores et diversitates approbasse. Verum enim vero declaratio Tridentina de authentia Vulgatae errores hujusmodi et diversitates non attingit; sed ea, utpote neque ad suum, neque ad principem scopum Scripturarum pertinentia, mere permisit, simul tamen per decretum *disciplinare* statuens, „ut haec ipsa vetus et vulgata editio quam emendatissime imprimeretur", ut eâ postea instituenda correctione critica, etiam hujusmodi menda, quoad humanitus fieri potest, auferrerentur et excluderentur. Ad rem Dr. Valverde, unus ex deputatis ad correctionem Vulgatae, in libello supplici ad Clementem VIII. ita loquitur: „Multa, Pater Sancte, permisit Ecclesia legi publice, non quod omnino probaret, aut rectius legi non posse statuerit... neque ideo dicenda est errores tolerasse in Bibliis, cum haec neque sanam fidem neque mores corrumpant. Plura quidem et majora multa toleravit Ecclesia, antequam Hieronymus Biblia emendaret, et nemo Ecclesiae hoc exprobravit." — Itaque ex eo quod Synodus Tridentina Vulgatam *pro authentica* habendam declaravit, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat, certe opinio veterum propugnantium veluti absolutam ejus authentiam, nullum habet fundamentum. Ex scopo autem, et *objecto* decreti nedum probetur, potius evidenter falsa evincitur.

236. Etenim 2°. *scopus* decreti est „non parva utilitas accessura Ecclesiae Dei", quae ex contextu distincte assignatur in eo, ut omnibus innotescat sinceritas fontium, ex quibus ab ipsa Synodo et Ecclesiae fidelibus depromenda sint „testimonia in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus." Atqui ad hunc finem nihil pertinent minutiora quaeque geographiam, chronologiam, adjuncta infima historiae etc. spectantia; sed ad eum satis est versionis et editionis authentia *conformitatis* in rebus fidei et morum, ac in ceteris quoad rei summam. Ergo hanc, non autem strictiorem illam *conformitatem* declarare propositum erat.

237. Etenim 3°. Synodus authenticam declaravit, et ut talem ad confirmanda dogmata et instaurandos in Ecclesia mores ipsa adhibuit veterem et vulgatam editionem *prout* tum temporis existebat. Atqui simul agnovit in eâ posse aliqua

emendari, utique *accidentalia dumtaxat*, nimirum, in rebus *per accidens* dogmaticis, et in modo enunciationis dogmatum. Namque ex praemissis n. 233.-35. evidens est, eo ipso quod Tridentinum Concilium declaravit, ut Vulgata pro authentica habeatur, hanc numquam immutari ita posse, ut *quoad substantiam* non maneat eadem quae per Concilium Tridentinum pro authentica habenda declarata est. Ergo authentiam Vulgatae in hujusmodi quoque *accidentalibus* et *modalibus* Patres Concilii non *absolutam* declararunt, sed *respectivam*.

238. Denique 4°. id constat *ex legitimis testimoniis*. Sic a). Cardinalis Marcellus Cervinus, unus e Pontificis Pauli III. legatis et Concilii praesidibus, ipseque inter sess. XVI. et XVII. an° 1555. Pontifex electus, pridie quidem quam firmaretur decretum (latum 8. April. 1546.), et postea non semel, Andreae Vegae, itemque S. J. posthac Praepositus Generalis Jacobus Lainez, qui Concilii Tridentini pars magna fuit, P. Joanni Marianae testati sunt, mentem Concilii non aliam fuisse, quam declarare authentiam Vulgatae quam diximus *respectivam*, adeoque non rigidiorem illam quam plures, comparate autem loquendo ad reliquos, nonnulli veteres Theologi decreto affixerunt.

b). Suffragatur nobis et testimonium Ecclesiae. Etenim in ipsis libris liturgicis, utputa non solum in martyrologio Romano, sed in ipso quoque Missali, et in Breviario, etiam post emendatam curis Pontificum Vulgatam, permittens et ratum habens usum publicum v. g. Italae in rebus modisque enunciationis accidentalibus a Vulgata nostra multum diversae (cfr. n. 201.), ipsa Ecclesia manifestissime demonstrat, se auctoritate sua neutras versiones in hujusmodi rebus voluisse *conformes* declarare archetypo primitivo.

c). Accedit expressum responsum S. C. C. Tridentini Interpretum. Circumferebatur quidem decretum, ceu a praedicta C. die 17. Jan. 1576. sancitum, sequentis tenoris: „Congregatio generalis censuit, nihil posse asseverari, quod repugnet

vulgatae latinae editioni, etiam quod esset sola periodus, sola clausula, vel membrum, sive vox, vel dictio sola, vel syllaba, iotave unum." Illud in archivis Romanis diligenter quaesitum nusquam repertum est. Quapropter S. C. 1. Aug. 1859. respondit: Si vere aliquando prodiit, intelligi debet prohibere, ne quid asseratur *repugnans* editioni vulgatae *in rebus fidei et morum*, illudque responsum Pius IX. vivae vocis oraculo approbavit.

Repetitio puncti IV.

De Vulgata per C. Trid. authentica declarata.

239. I. *Definitio et divisio* authentiae. *Authentia* etymologice ⫤ auctoritas; *authenticum* ⫤ auctoritate munitum. Authentica Scripturae editio logice est: editio auctoritate ad faciendam fidem indubitatam munita. — Scripturae sunt vel autographae, vel apographae, vel translatae in aliam linguam. Hinc authentia distinguitur 1°. *originalis*, et *conformitatis*. Originalis pertinet ad libros autographos Scripturarum, et exoritur ex auctoritate Dei, earumdem auctoris principis, quo inspirante sacri auctores libros scripserunt, atque eatenus coincidit cum eorumdem librorum *genuinitate*. Authentia *conformitatis* pertinet ad apographa et versiones, et consistit in horum convenientia cum originalibus; atque in apographis coincidit cum *integritate*, in versionibus cum *fidelitate*, seu, *sinceritate*. Quae autem integra et sincera sunt, eamdem habent auctoritatem ac ipsae Scripturae originales, *quia* eorum pars *formalis*, a Deo intenta, manet eadem, atque quoad hanc partem aeque ac autographa *Deum auctorem* principem habent; et solum pars *materialis* aliter se habet; sed haec jure adscribitur *scriptori* sibi permisso. Partem *materialem formali* respondere in auctore *inspirato* constat *a priori*, sive, *ex ipsa natura* inspirationis; in scriptore *non inspirato*, non nisi *a*

posteriori, ex facto *conformitatis*, quod legitima auctoritas Ecclesiae testari valet.

2°. *Condividi solet* in *in-* et *externam*. — *Originalis* interna est ipsa auctoritas Scripturis inhaerens ex earum auctore principe, Deo, adeoque constituitur inspiratione. — *Conformitatis* interna est ipsum factum *conformitatis* apographorum et versionum cum Scripturis inspiratis. Utraque haec species constituit libros authenticos *in se*, et *quoad se*. — Externa proprie dicta, est ipsius internae authentiae manifestatio per *Ecclesiae* magisterium solemne (quo in casu dici solet *judicialis*, *expressa*, *explicita*), vel ordinarium (i. e. hìc, per publicum et constantem usum, unde haec *vulgaris*, *implicita*, aliquando *aequivalens* nuncupatur), facitque libros authenticos *quoad nos* (externa enim supponit, non efficit internam).

3°. Authentia *conformitatis subdividitur* in *absolutam* (omnimodam, etiam quoad *accidentalia*) et *respectivam*, i. e, quoad principaliter intenta ab auctore, et quoad summam *accidentalium*.

II. *Status quaestionis* is est: Quaenam tandem inter tot discrepantes versiones exhibeat sincerum Dei verbum? Quaestio sane — si qua alia — *capitalis*, cujus solutionem Protestantes petunt, sed frustra, a magistratibus, aliisque incompetentibus judicibus; nobis vero infallibiliter praebet a Christo instituta auctoritas Ecclesiastica, speciatim adunata in Concilio Tridentino.

III. *Decretum* Tridentinum huc spectans, et incipiens ab his verbis: „Insuper eadem ss. Synodus considerans, non parum utilitatis" etc. recita (cfr. n. 210.)

IV. *Occasio* recitati decreti extiterunt plurimae quae tempore Concilii Trid. circumferebantur *latinae* editiones, elaboratae sive per viros catholicos, utputa *Erasmum*, *Santes Pagninum*; sive per haereticos, *Osiander*, aliosque, plerumque de Vulgata veteri detrahentes; quapropter multi ancipites haerebant, cui tandem versioni adhaererent.

V. Decreti *scopus generalis* et *polemicus* utique fuit, his ma-

lis obviare. *Specialis* autem et *directus*, determinare, veterem vulgatam editionem prae ceteris omnibus *latinis* versionibus etiamnum saltem adeo esse integram et fidelem, ut ex ea cum ipsis Patribus Tridentinis omnes fideles tuti depromere non solum possint, sed in actibus publicis etiam debeant testimonia ad confirmanda dogmata, et instaurandos mores.

VI. Sunt qui teneant decretum esse *disciplinare*; nobis autem videtur *dogmaticum* esse a). ex eo quod *explicita* dogmatica definitio *de Scripturis canonicis*, simul fuit *implicita* definitio de authentia librorum Scripturae, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in Vulgata habentur. b). Ex eo quod praesens decretum per excellentiam versatur circa *factum dogmaticum*.

VII. Decreti *objectum* est vetus et vulgata latina editio comparate ad ceteras latinas editiones, quae saec. XVI. circumferebantur; non autem ad textus originales aut versiones antiquas aliis linguis confectas, quae simplici et vulgari authentiâ suâ etiamnum, ut ante decretum Tridentinum pollent, et quorum usus ad planiorem Vulgatae explicationem per istud decretum ne ipsis quidem concionatoribus prohibitus est.

VIII. Decreti *sensum* et *extensionem* nonnulli veteres rigidius acceperunt, propugnantes *vi decreti* conformitatem Vulgatae cum textu primigenio *indiscriminatim* in omnibus incisis et particulis tenendam esse, ita ut ét in textibus *per se* dogmaticis quoad modum quoque enunciationis dogmatum ét in textibus *per accidens* dogmaticis, etiam in rebus utut ex se levissimis, minimisque circumstantiis Vulgata textibus originalibus respondeat. Contra nonnulli recentiores propugnarunt sententiam, ut videtur, justo laxiorem, docentes, Concilium Tridentinum dumtaxat declarasse authentiam Vulgatae indeterminatam, i. e., nullo facto discrimine inter textus *per se*, aut *per accidens* dogmaticos, ita ut *vi decreti* sufficiat admittere, libros sacros in Vulgata quoad rei summam esse identicos cum originalibus; ceterùm vero judicium de authentia partium, etiam

per se dogmaticarum, relictum esse cujusque periti examini critico, a quo proin demum judicium in casu individuo pendere debet, utrum determinatus locus authenticus agnoscendus sit, nec ne. — Inter utramque extremam, mediam tutamque viam tenebis, hanc statuens thesin: *Vi decreti Tridentini* veteri vulgatae latinae editioni, qualis haec tempore Concilii praesto erat, collata est authentia *conformitatis externa, judicialis, respectiva*, in eo gradu *determinato* — quod est contra recentiores — ut in omnibus et singulis partibus *per se* dogmaticis verbum Dei originale, quoad substantiam dogmatum fideliter exhibeat; adeoque agnitio vel negatio authentiae locorum *per se* dogmaticorum non ab examine critico pendere debet, sed authentia horum locorum *vi ipsius decreti Tridentini* agnoscenda est; non tamen — quod est contra antiquiores — in gradu *supremo*, i. e., ita, ut in *modo* exprimendi dogmata, et in ceteris *per se non* spectantibus ad aedificationem doctrinae christianae, plenam autographis *conformitatem* prae se ferat, sed in hisce sufficiat profiteri, Vulgatam quoad rerum quidem hujusmodi summam, modumque exprimendi dogmata, substantiâ tenus cum originalibus convenire.— *Licet* igitur prudenter tueri in locis etiam *per se* dogmaticis genuinam lectionem *accidentaliter* aliam fuisse, quam quae in Vulgata occurrit, v. g. *Gen.* cap. III. legi oportere: „*Ipse* conteret caput tuum" etc. — Contra *recentiores* sententia nostra satis probatur ex eo, quod manifesto praesens *explicitum* decretum de authentia Vulgatae eadem significatione et extensione est accipiendum ac decretum de canonicis Scripturis, utpote quo jam *implicite* declarabatur authentia librorum sacrorum, prout in Ecclesia legi consueverunt et in Vulgata habentur; tanto magis quod eadem videatur utriusque decreti indoles, et scopus idem, idemque principium; denique quod, ut n. 140.-145. ostensum est, errarunt in interpretando decreto *de canonicis Scripturis* certe quantum ad partes Evangeliorum attinet; itemque asserendo, causam integram criticis

rationibus commissam manere. Atque proin pari ratione dicenda est justo laxior, imo falsa interpretatio, quam praesenti decreto de authentia Vulgatae affinxerunt. — Contra *veteres* quosdam nostra sententia probatur 1°. ex genuino sensu ultimae partis decreti „*et ut nemo* Vulgatam *rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat*", quae utique *prohibet* Vulgatam universim ut publico usu indignam habere, aut aliquo tali errore deformatam, ex quo perniciosum dogma colligi queat, aut in rebus etiam *per accidens* tantum dogmaticis *temere* ejus lectionem rejicere; sed *non prohibet*, quominus, debita veneratione, amplectaris lectionem a Vulgata in rebus vel *per se* dogmaticis *accidentaliter*, nempe, quoad modum enunciationis dogmatis diversam, aut quominus judices, Vulgatam maxime in rebus *per accidens* dogmaticis quaedam menda continere. Datis autem in Vulgata quibusdam erratis *accidentalibus*, bene tamen authentica declarari potuit, quin ex hoc sequatur, errores hujusmodi fuisse a Concilio Tridentino approbatos. Etenim diversitates istiusmodi ac menda mere *accidentalia* ad scopum principalem neque decreti, neque ipsarum Scripturarum pertinent; verbo: neque sanam fidem, neque mores corrumpunt. Res nostra probatur 2°. ex ex scopo decreti principali, et 3°. ex ejusdem *objecto*, et denique 4°. ex testimoniis minime dubiis Theologorum aequalium, ipsiusque Ecclesiae tum facto, cum verbo editis.

V.

De Vulgata ex decreto Tridentino quam emendatissime impressa.

240. *Summa historica emendationis Vulgatae.* Decretum Tridentinum *de editione et usu sacrorum librorum*, praeter declarationem quâ statuit ut Vulgata pro authentica habeatur, duo alia, uti jam n. 200. notatum fuit, edicit praecepta *disciplinaria*, quorum prius huc spectans decernit „ut posthac sa-

cra Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et vulgata editio, quam emendatissime imprimatur." Hac lege 8. April. 1546. lata, sine mora Theologi Lovanienses emendate edendae Vulgatae suas curas impenderunt. Joannes *Hentenius*, O. Praed., jam anno 1547. Lovanii edidit: *Biblia latina ad vetustissima exemplaria recens castigata.* Operam et studium eidem etiam navavit praeclarum Franciscus *Lucas*, a loco natali *Brugensis* cognominatus. Eorum editiones utique non minimae fuerunt utilitatis vel ipsis Correctoribus Romanis; at vero, quum non prodiissent suprema Ecclesiae auctoritate suffultae, non omnium votis satisfaciebant, neque lites in similibus inter eruditos nascentes dirimere poterant. Quapropter Romani Pontifices provide, et jure pleno totum hoc emendationis negotium ad se revocarunt.

241. Pro sua autem de Scripturis sanctis cura nihil intentatum reliquerunt Summi Pontifices Pius IV. et V., praecipue vero Gregorius XIII., Sixtus V., Gregorius XIV. et Clemens VIII., institutis ad id muneris congregationibus virorum peritissimorum, „ut Vulgata *vetus* ex Tridentinae Synodi praescripto, emendatissima, pristinaeque suae puritati, qualis primum ab ipsius interpretis manu, styloque prodierat, quoad ejus fieri potest, restituta imprimeretur" [1]). Quod re ipsa factum est primùm a Sixto V. anno 1590. atque dein, adhibitis non solum codicibus ipsius veteris Vulgatae editionis, puta *gothico Boetico*, *Amiatino* etc., sed et Hebraeis, Graecisque fontibus, ac veterum Patrum commentariis, a Clemente VIII. anno 1592. in *folio*, 1593. in *quarto*, et 1598. in *octavo*, additis editioni *tribus erratorum correctoriis*. Editiones autem Clementinae constanter solius Sixti nomine prodierunt, donec primus, ut videtur, Antonius Laurent nomen *Clementis* apposuit in sua editione Lugduni anno

[1]) Verba sunt Sixti V., Constit. „*Aeternus ille*" 1. Mart. 1589. Simillima habet Clementinae editioni praefixa *Praefatio ad Lectorem*, cujus auctor est Card. Bellarminus.

1675. divulgata, quae additio exinde sensim communiter recepta est. Antehac autem etiam editiones Clementinae simpliciter inscribebantur: *Biblia sacra vulgatae editionis Sixti Quinti Pont. Max. jussu recognita atque edita Romae ex Typographia Vaticana.* Ultimis verbis ratio continetur ob quam editio *Vaticana* vocari consuevit. Porro editio Clementina reliquis omnibus, secundum jus canonicum, norma stabilis existere debuit. Per Breve enim Apostolicum „*Cum sacrorum Bibliorum*", 9. Nov. 1592., Clemens VIII. inter alia praecepit, „ut nemo hanc sanctarum Scripturarum editionem typis mandare praesumat, nisi habito prius exemplari in Typographia Vaticana excuso: cujus exemplaris forma, ne minima quidem particula de Textu mutata, addita vel ab eo detracta, nisi aliquid occurrat, quod Typographicae incuriae manifeste adscribendum sit, inviolabiliter observetur."

242. *Scholion* 1um. Nihil diffitemur, inter editionem Sixtinam et Clementinam quamplurimas dari differentias, sed mere *accidentales*. Postquam omnes et singulas critice diligenter expendit cl. H. Bukentop verissime affirmat: „*Nulla est in utroque Pontifice repugnantia, nulla in utrisque Bibliis alia credendi aut agendi regula, nulla substantialis diversitas, sed accidentalis solummodo.*" Id autem non solum critice, sed et theologice constat. Nam certe ea vis decreto Concilii Tridentini de authentia Vulgatae inesse agnoscenda est, ut illud omnem *substantialem* Vulgatae editionis mutationem in perpetuum excluserit. Cfr. n. 233.-237.

Plane igitur absurdi sunt, qui, ut olim Anglicanus Thomas James, et nostras Sixtinus Amama et recentius Prof. P. J. Veth, contra Pontificum *infallibilitatem* argumentum deduci posse putarunt ex eo, quod editio vulgata typis jam impressa jussu Sixti V., iterum ad incudem revocata et secundum canones criticos diversos correcta tandem in lucem prodiit jussu Clementis VIII. Totum enim illud negotium diversitatis inter utramque recensionem nihil ad res fidei aut morum pertinet, ipsique Pontifices disertis verbis professi sunt, se veterem vulgatam editionem evulgare „*quanta fieri potuit diligentia* castigatam; quam quidem sicut omnibus numeris absolutam, *pro humana* imbecillitate affirmare difficile est, ita ceteris omnibus, quae ad hanc usque diem prodierunt, emendatiorem, purio-

remque esse, minime dubitandum." „In hac tamen — ita pergit jam laudata *Praefatio ad Lectorem* — pervulgata Lectione sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia, *quae mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt; tum* quod ita faciendum esse ad offensionem populorum vitandam sanctus Hieronymus non semel admonuit (cfr. n. 205. Reg. 2ª); *tum* quod facile fieri posse credendum est, ut majores nostri, qui ex Hebraeis, et Graecis Latina fecerunt, copiam meliorum, et emendatiorum librorum habuerint, quam ii, qui post illorum aetatem ad nos pervenerunt, qui fortasse tam longo tempore identidem describendo minus puri, atque integri evaserunt; *tum* denique quia sacrae Congregationi Amplissimorum Cardinalium, aliisque eruditissimis viris ad hoc opus a Sede Apostolica delectis propositum non fuit, novam aliquam editionem cudere, vel antiquum Interpretem ulla ex parte corrigere, vel emendare; sed ipsam veterem, ac vulgatam Editionem Latinam a mendis veterum librariorum, necnon pravarum emendationum erroribus repurgatam, suae pristinae integritati, ac puritati, *quoad ejus fieri potuit*, restituere; eaque restituta, ut quam emendatissime imprimeretur juxta Concilii Oecumenici Decretum, *pro viribus* operam dare." Profecto hisce clariora desiderari nequeunt, ut evidens sit, Pontifices in hac recognitione Bibliorum *critica*, quam adversarii insulse cum fidei definitione permiscent, numquam sibi, neque ullum catholicum illis *infallibilitatem* tribuisse. (Lege „*De Katholiek*", 20. d. a p. 247.)

243. Corollarii instar, addimus quod vulgatae latinae editionis divisio in *capita* fieri coepta est inde a saeculo XIII., et plerumque auctori refertur *Hugoni a Sancto Caro*. Ansam huic divisioni dederunt *Concordantiae* id temporis confici coeptae. Postquam enim s. Antonius de Padua († 1231.) primam *Concordantiam realem*, i. e., in capita digestam secundum ordinem *rerum* in Scripturis contentarum, exaraverat, primus *Concordantiam verbalem*, seu, secundum ordinem *verborum*, composuit laudatus Hugo a S^to^ Caro. Atqui ad faciliorem suae *Concordantiae* usum, sacros libros, maxime habita ratione materiae eorumdem, in capita divisit. Deinde hac divisione etiam usus est in suis Bibliis, in quibus denuo quodlibet caput subdistinxit in septem partes, notatas aequali fere dis-

tantia notatas in margine per litteras a. b. c. d. e. f. g., ad citationes facilius inveniendas. Subdivisio haec, per trecentos circiter annos adhibita, etiamnum in Missalibus et Breviariis Romanis occurrit. Divisio autem in capita perpetuo in usu mansit.

244. Capitum porro in *versus* distinctio, ut hodie recepta est, inventa refertur *Roberto Stephano*, saeculo XVI., typographo Parisiensi. Primum eam inseruit in editione graeco-latina N. T., anni 1551.; et deinde in editione latina Vulgatae anni 1555.

245. Appositio denique *numerorum* ad singulos capitis versus, eodem saeculo XVI. nata est.

246. Quum vero partitio haec in capita et versus non ab Ecclesia, sed a privatis hominibus facta sit, sane ejusdem auctoritas quoque privata dumtaxat est, nec major, quam ratio, cui innixi libros in capita, haecque in versus laudati eruditi diviserunt. Imo factam ab illis divisionem non semper esse accuratam, Scripturarum interpretes jam dudum animadverterunt, et luce clarius est v. g. ex *Deuteronomii* capite ultimo, quod manifeste ad librum *Josue* referendum est. Ubi igitur sive analogia fidei, sive Patrum, Doctorumve auctoritas, sive sana ratio illud requirunt, tuto possumus praecedentia superioris cujusdam capitis aut versus verba cum prioribus sequentis versûs vel capitis connectere.

Repetitio puncti V.

De Vulgata ex decreto Tridentino quam emendatissime impressa.

247. I. Lato praescripto disciplinari de Vulgata quam emendatissime imprimenda, mox rei operam dederunt Lovanienses, idque, ut habet *Praefatio ad Lectorem*, „magna cum laude." Verum „quoniam executio generalium Conciliorum, et ipsa Scripturarum integritas ac puritas ad curam Apostolicae Se-

dis potissimum pertinere cognoscitur; ideo" SS. Pontifices negotium istud ad se revocarunt. Et revera Sixtus V. an° 1590., et iterum 1592. Clemens VIII. sub nomine Sixti Biblia recognita ediderunt ex typographia Vaticana; quare editio *Vaticana* vocatur. Huic omnes alibi editae ad amussim congruere debent. *Scopus* utriusque Pontificis idem fuit: veterem Vulgatam pristinae puritati restituere, quoad ejus fieri potest. Diversa tamen *methodus*: Clemens enim in recognitione Vulgatae magis usus est Hebraeicis, Graecisque fontibus et commentariis Patrum. Hinc inter utriusque editionem multae quidem sunt differentiae *accidentales*, *sed nulla substantialis diversitas*. Absurdi igitur sunt quibus eorum in opere hoc critico „concordia discors" refragari videtur infallibilitati Pontificis ex Cathedra loquentis. — Consulto quaedam, quae mutanda videbantur, immutata relicta sunt, triplici quidem *motivo*: a). ad offensionem fidelium vitandam; b). quod verisimiliter antiquo interpreti Italae, et s. Hieronymo meliores codices praesto fuerint, quam nobis; c). pro scopo suo.

II. Divisio Vulgatae in *capita* incoepit saec. XIII. auctore, ut videtur, Hugone a S^to^ Caro; in *versus* saec. XVI. auctore Roberto Stephano. Eodem saeculo versibus *numeri* apponi coeperunt. Totus iste apparatus privatae est auctoritatis, quandoque parum accuratus. Quapropter justa de causa ab eo recedere licet.

CAPUT V.

De Scripturae sacrae auctoritate.

248. Scripturarum auctoritas vel universim investigari potest, vel speciatim auctoritas verborum, quae scriptores sacri ut ab aliis prolata referunt. Caput hoc proin sponte sua in duos §. abit.

§. 1.

De Scripturae auctoritate universim.

249. *Momentum* quaestionis de auctoritate Scripturae praesertim nostra aetate maximum est, quum, ut verbis Concilii Vaticani utamur „ipsa sacra Biblia, quae antea — nempe a Pseudo-Reformatoribus saeculi XVI. — christianae doctrinae unicus fons et judex asserebantur, jam non pro divinis haberi, imo mythicis commentis accenseri coeperunt." (*Sess. III. Prooemium*).

250. *Status* quaestionis ut rite percipiatur, sequentia animadvertantur:

1°. *Auctoritas* hìc sumitur ut est criterium certitudinis. Ut talis autem duplex distinguitur, *divina* et *humana*, prout vi testimonii divini, vel humani inducimur ad credendum. Utraque quidem auctoritatis species Scripturis competit. Ipsa namque Scriptura sub duplici respectu considerari potest:

a). *Sicut est vere, verbum Dei*, inspirante Spiritu Sancto conscriptum. Sic agnita profecto pollet auctoritate *divina*, atque in re quavis, sive ea physica sit, sive historica, sive moralis, sive dogmatica, sive quaevis tandem alia, certitudinem parit *metaphysicam*.

b). *Ut verbum hominum*, sive, ut documentum mere historicum, *quasi* humanis dumtaxat viribus conscripta esset, adeoque abstrahendo ab inspiratione scriptorum. Ut talis gaudet auctoritate *humana*, et certitudinem praebet *moralem stricte dictam* ita, ut quivis sanus vel solius humanae rationis imperio credere debeat, vera esse quaecumque in Scripturis referuntur, sub ea saltem ratione reflexa, sub qua, et eo sensu quo scripta sunt (cfr. n. 44.) Primario tamen, imo ultimùm auctoritas *divina* Scripturarum *h. l.* in quaestione est semper adversus quoscumque adversarios tuenda occurrere poterit.

2°. Atqui triplex talium hominum classis notari potest. Nimirum auctoritas divina Scripturarum probanda est a). ali-

quando *Catholicis*, disertae doctrinae Ecclesiae ignaris, quales hac nostra aetate haud rarò deprehenduntur praesertim inter eos, qui, scientiis et artibus profanis multum quidem eruditi, ideoque sese *illuminatos* reputantes, in divinis tamen adeo animi lumine orbantur, ut quosdam utriusque Testamenti libros ut bonos et pios laudare jam summum arbitrentur, ut divinos autem admittere aniculam potius quam virum decere. — b). Saepius adversus *Judaeos* et c). *Incredulos*, quo nomine generali hìc comprehenduntur quotquot rationalismi seu naturalismi doctrinae adhaerent.

3°. Habitudo inter auctoritatem Scripturarum divinam et humanam ea est, quod divina humanam includit et gradu longe superat. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est* (I. Joan. V. 9.) Itaque adversus Catholicos sufficit directo solam probare divinam Scripturarum auctoritatem. At vero si cum Judaeo aut Incredulo disputandum sit, ordo logicus omnino postulare videtur, ut prius demonstretur Scripturae auctoritas humana; quam si adversarium admittere coëgeris, facile dein divina demonstrabitur. Itaque pro diversitate adversariorum alio atque alio quidem modo argumentatio instituenda erit, ultimo tamen, uti dicebamus, semper eo quaestio redit ut divina Scripturarum auctoritas probetur.

4°. Auctoritas Ecclesiae, ut ex dictis cap. I. n. 14.-17. jam constat, est *medium* hypothetice (nempe, secundum providentiam Dei ordinariam) necessarium, ut omnes integram Scripturam in sese divinam infallibiliter certo cognoscant et dignoscant. Aliis verbis: integrae Scripturae auctoritas divina *quoad nos* pendet ab auctoritate Ecclesiae, integrum divinitus inspiratorum librorum canonem nobis infallibiliter proponentis [1]). Itaque necessario ultimùm semper ad infallibilem Ecclesiae auctoritatem deveniendum est adversus quoscumque integrae Scripturae auctoritas divina tuenda occurrerit. Ipsa porro Ecclesiae Romano-Catholicae auctoritas est omnibus et singulis *motivum*

[1]) Cfr. *Synod. Provinc. Ultrajectens.* p. 21.

credibilitatis plane sufficiens, ut, cum divinae gratiae auxilio, omnibus omnino veritatibus revelatis *fide divina* credant propter ipsam auctoritatem Dei revelantis. Ex auctoritate igitur Ecclesiae proponentis canonem Scripturarum infallibiliter constat *quod ita est*; in casu, *quod* determinati hi libri integri cum omnibus suis partibus *sunt divinitus inspirati*, quodque proin Scriptura integra gaudet auctoritate divina; at vero ostendere *cur*, *quomodo*, vel saltem *quam congruentur* et *rationabiliter* Ecclesia testetur *ita esse*, ad *scientiam fidei*, ad sacram theologiam pertinet. Atque huc spectat argumentatio mox indicanda.

5°. Reliquum est, ut praeoccupemus difficultatem, quam contra praecedens assertum, et demonstrationem insequentem constanter renovant Protestantes. Est autem hujusmodi. Cum Catholici, inquiunt, sibi sumunt demonstrare auctoritatem divinam integrae, quam profitentur, Scripturae, incidunt *in circulum vitiosum*. Nam probant auctoritatem Ecclesiae ex *Scripturis*; atqui ad probandam auctoritatem Scripturarum ultimò semper appellant ad *auctoritatem Ecclesiae*. Si qua igitur alia, haec eorum argumentandi ratio, specimen est sophismatis, quod in Logica *circulus vitiosus* audit, *petitio principii*, inquam, sive, *reditus ad principium* [1]).

251. Ut tandem tritae huic objectioni plene fiat satis, praevie notare juverit,

a). Ecclesiam ipsam, ejusque auctoritatem esse anteriorem Scripturis (cfr. n. 109.), non tantum tempore, sed etiam ut principium probationis. Enimvero — ut iterum cum Patribus Concilii Vaticani loquamur, Sess. III. cap. III.— „Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, *suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati* (sive divinitus scripti, sive ore traditi) *ab omnibus posset agnosci*. Ad solam enim catholicam Ec-

[1]) Ad intelligentiam horum terminorum cfr. Vallet, *Logicae pars altera*, *Dialectica*, cap. III. art. III. §. III.

clesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, *ob suam* nempe *admirabilem propagationem*, *eximiam sanctitatem* et *inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem*, *ob catholicam unitatem*, *invictamque stabilitatem*, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes [1]), et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur." Ergo catholicam Ecclesiam divinae esse institutionis, eamque divinâ ornatam esse auctoritate, imprimis docemur et cognoscimus *ex ipsis motivis credibilitatis*, quibus Ecclesia per se ipsa splendet. Ergo ab auctoritate Ecclesiae ex dictis *motivis* cognita canonem sacrorum Librorum recipientes, ejus testimonio jam infallibiliter certi reddimur omnes istos libros divinitus inspiratos esse, adeoque pollere auctoritate divina.

252. Sed etiam praecisione facta a *divina* institutione Ecclesiae, si ad momentum consideretur Ecclesia catholica ut societas humana, vel sic testimonium illius et doctrinale et historicum omni exceptione et comparatione majus est. Profecto huc imprimis faciunt scientia, veracitas, et consensio in doctrina constans. Atqui Ecclesia Romano-Catholica vel solum historice considerata, ab ipso sui exordio in praesens usque tempus merito gloriatur de viris in suo gremio *per singula saecula* enutritis juxta doctissimis, sapientissimis, ac sanctissimis, sive, vitae, morumque integritate quam maxime insignibus! Tanto major vis hujus argumenti, quod ii, tametsi ceteroquin quam maxime diversarum, imo omnium sint nationum, linguarum ac conditionum, tamen in rebus fidei morumque, nominatimque in agnoscenda, vindicandaque auctoritate Scripturarum mirifice, planeque inter se

[1]) *Isaiae* XI. 12.

consentiant, atque unanimes se opponant cuicumque hac in re innovationi, vel diminutioni. Quodnam, quaeso, umquam in orbe huic nedum aequale, vel a longe simile collegium, corpusve doctum, extra Ecclesiam catholicam, repereris? Ergo etiam vel humanitus solummodo consideratum Ecclesiae catholicae testimonium summi est momenti, et merito habetur ut criterium certitudinis omnino validum, et motivum credibilitatis, quo nullum aliud humanum fortius.

253. b). Ad adstruendam divinam, proindeque infaliibilem Ecclesiae auctoritatem in docendo, utimur etiam Scriptura, utpote in qua clare et aperte illa asseveratur. Sed ad hoc adstruendum non opus est uti *omnibus* sacris libris; satis est ad eorum *aliquos* appellare, nominatim ad Evangelia. Jam vero — ut nunc verbis utamur Synodi nostrae Provincialis, *Tit.* I. *cap.* V. p. 21. — „Sancti Ecclesiae Patres ac Doctores catholici, vel ex ipsis Scripturis, ob auctoritatem veracitatis quam habent, praecisione etiam facta ab inspiratione, optime quidem ostendunt, non modo inspirationem divinam *aliquorum* librorum, sed ipsum etiam divinitus constitutum Traditionis fontem", qui per auctoritatem Ecclesiae ad particularia doctrinae revelatae capita statuenda pro variorum temporum necessitate et opportunitate semper purus et integer sese profundit. Ergo *ex aliqua Scripturarum parte argumentis criticis cognita*, inferimus divinam auctoritatem Ecclesiae, a qua deinde *integram Scripturam*, integrum librorum sacrorum catalogum, ut divina auctoritate pollentem, *ob eamdem auctoritatem* accipimus.

254. c). Ad adstruendam Ecclesiae auctoritatem in docendo infallibilem quandoque etiam utimur omnibus Scripturae libris; idque non solum prout eorum veracitas argumentis criticis constat, verum etiam prout sunt divinitus inspirati. At ita initio procedimus solum contra illos, qui nobiscum authenticitatem librorum Scripturae sin integrae saltem pro maxima parte, atque inspirationem divinam admittunt. Itaque

in casu utentes veluti argumento *ad hominem*, i. e. hìc, deducto ex Scripturis, *quas adversarii divinas esse* unâ nobiscum fatentur, stabilimus auctoritatem Ecclesiae, a qua integrum canonem, quem nobis exhibet, accipimus.

255. Plane nunc liquet quid praehabitae tritae objectioni logice respondendum sit. Nimirum, *Nego* assumptum; et *ad probationem, distinguo maj.*: Probamus auctoritatem Ecclesiae, ex Scripturis *solum*, aut *necessario*, *nego*. Probamus auctoritatem Ecclesiae *etiam* ex Scripturis, *subdistinguo*: ex *aliquibus* Scripturae libris quorum authenticitas *critice* cognoscitur et cognita admittitur, *transeat*, vel et *concedo*; *ex reliquis*, iisque *ut divinis* agnitis, iterum *subdistinguo*: ut argumento ad *hominem* contra eos, qui illos nobiscum ut divinos admittunt, *conc.*; contra alios, *nego*. Patet igitur nos non probare idem per idem; adeoque nos nequaquam incidere in *petitionem principii*, sive, *circulum vitiosum*, cujus nos arguere adversarii non desistunt.

256. His praestitutis, jam facili negotio adversus quoscumque adversarios statuitur, et demonstratur sequens propositio: *Omnes integram ab Ecclesia propositam Scripturam ut verbum Dei, adeoque ut divina pollentem auctoritate admittere tenentur.*

257. Etenim adversus *Catholicum* praejudiciis hac in re captum sufficit directe appellare ad auctoritatem Ecclesiae infallibilem in docendo res fidei et morum quae ad aedificationem doctrinae christianae pertinent. Atqui Ecclesia vel in Conciliis oecumenicis Tridentino et Vaticano congregata integram Scripturam, prout in decreto Tridentino recensetur, pro sacra et canonica habendam, et ut divinitus inspiratam sub anathematis comminatione pronuntiat. Ergo eo ipso propositio nulli Catholico dubia esse potest, sed fide divina quivis catholico nomine dignus Scripturam integram ut divina auctoritate gaudentem agnoscere debet.

258. Adversus *Judaeos*, qui saltem libros V. T. protocanonicos ut verbum Dei admittunt, deutero-canonicorum, et

N. T. auctoritas divina efficienter probatur:

1°. Ex auctoritate historica, qua gaudere alibi [1]) demonstrantur.

2°. Ex utriusque T. *harmoniâ*; ostendendo nimirum a). ex adimpletione prophetiarum, et omnium Scripturarum, quae de Ipso erant, Christum revera esse Messiam Patribus promissum [2]). — b). In ipsis V. T. libris, quos ut divinos admittunt, aperte praedictum esse, Religionem Mosaicam, ut talem, aliquando abrogandam, et jam dudum abrogatam esse [3]), eique substituendam fore novam multo perfectiorem. — c). Nihil igitur mirum esse, quod, quum vel in V. T. in rebus fidei et morum Pontifex fuerit judex infallibilis controversiarum, tali auctoritate vel perfectius gaudeat Ecclesia Christi, nominatimque Pontifex Romanus [4]).

3°. Postremo ex libris N. T., iterum consideratis ut libris mere humanis, evincatur, Ecclesiam, a Christo institutam, jam in V. T. adumbratam et praenunciatam, non aliam esse quam Ecclesiam Romano-Catholicam.

Atqui hisce praestitutis, vel ex alibi demonstratis jure assumptis, logice conclusio in promptu est: Et tu, Judaeus cum sis, debes integram quam profitemur Scripturam ut verbum Dei, adeoque divina auctoritate pollentem admittere. Nam vera Ecclesia eam ut talem proponit.

259. Tandem adversus *Incredulos* quatuor accurate praestanda sunt. Ostendendum

1°. Revelationem supernaturalem, miracula et prophetias esse possibilia, notisque certissimis posse dignosi. Quae evidenter praestant *Logica*, cfr. *criteriologia*, art. VII., et *Tract. de vera Religione*, parte I. cap. I. et IV.

2°. Scripturae libros plane certam fidem historicam mereri

[1]) *Tract. de vera Relig.* a n. 213. quoad libros N. T. — quoad libros deutero-canonicos V. T. cfr. dicta n. 106. 107. et 113.-116.
[2]) *Tract. de V. R.* a n. 260.
[3]) *Ibid.* n. 200.-210.
[4]) Cfr. *Analogia V. ac N. T.*, auctore Martino Becano, cap. XII.

et exposcere, utpote *authenticos*, seu, *genuinos*, substantialiter *integros*, fideles atque *veraces*. Requisitis hisce conditionibus insignitum esse Pentateuchum Moysis, itemque N. T., et praesertim quatuor Evangelia, sapienter singillatim probatur in *Tract. de vera Relig.* a n. 159. et a n. 213. Quandoquidem Pentateuchus basis est totius Religionis, ac Reipublicae Judaicae, et fundamentum omnium aliorum V. T. librorum; hi enim omnes et singuli singulo fere capite ad legem Moysis appellant, ita quidem, ut, probata illius auctoritate historica, omnis etiam de reliquis libris sublata sit falsitatis suspicio. Similia valent de quatuor Evangeliis, quae pariter basis totius Religionis christianae, ac fundamentum sunt ceterorum librorum N. T. — Ceterum singulorum sacrorum librorum tueri *axiopistiam* [1]), ut vocant, i. e., dignitatem, seu, *exigentiam* fidei, verbo: auctoritatem, ad *Introductionem specialem* pertinet.

3°. In libris illis fide historica dignis, praeter alias veritates aperte adstrui, „Deum per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituisse, suaeque institutionis manifestis notis instruxisse, ut ea tamquam custos ac magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci."

4°. Ecclesiam hanc non aliam esse quam Romano-Catholicam, utpote ad quam solam „ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile", ita quidem ut nullus — nisi vel in scepticismum historicum incidere, vel pertinax evidentiae auctoritatis resistere velit — illi Ecclesiae fidem denegare possit. Atqui haec speciatim integram Scripturam ut verbum Dei, adeoque ut divina auctoritate pollentem, proponit, et ab omnibus admittendam declarat. Ergo.

[1]) Vox graeca derivata ab Ἄξιος, *dignus*, πιστις, *fides* (*geloofwaardigheid*).

Repetitio §. 1.

De Scripturae auctoritate universim.

260. I. *Auctoritas* hìc sumitur ut est *criterium certitudinis*, et duplex distinguitur: *divina*, certitudinem parens *metaphysicam*, et *humana* conferens certudinem *moralem stricte dictam*. Utraque Scripturae integrae convenit; prior *sicut est vere, verbum Dei*; altera, si abstractione facta ab illius inspiratione, consideratur ut liber mere sed et vere historicus, i. e., genuinus, substantialiter integer et verax, qualem probasse Pentateuchum, et Evangelia, ad rem nostram sufficit, utpote quae sunt basis religionis, ceterorumque librorum utriusque T. Primario tamen, imo postremo semper hìc agitur de Scripturae auctoritate *divina*, uti etiam ut *integer* catalogus librorum Scripturae demonstretur sicut oportet, ultimùm semper deveniendum est ad infallibilem Romanae Ecclesiae auctoritatem, vario licet modo pro variis adversariis.

II. Si cum *Catholico* res est, sufficit directo appellare ad declarationem, quam hac in re solemniter Ecclesia edidit, et quam Catholicus ne in dubium quidem vocare sciens potest quin haereseos reus sit.

Si autem cum *Judaeo*, imprimis evincatur auctoritas historica librorum deutero-canonicorum et integri N. T. — Dein appelletur ad analogiam utriusque T. Praesertim a). quod V. T. prophetiae de Messia in N. T. adimpletae apparent in Christo. b). Quod praedicta fuit in libris, quos nobiscum admittunt, abrogatio veteris Foederis, novique substitutio per Messiam. c). Quod jam in V. L. ut supremus controversiarum judex agnita fuit auctoritas viva, nominatimque Summi Pontificis. Denique ex libris N. T. denuo ut mere historicis acceptis ostendatur, revera Messiam, Christum instituisse Ecclesiam infallibilem, hancque solam esse Romano-Catholicam, atque his habitis, volens nolens fateri debebit, Scripturam integram ut verbum Dei, seu, divina auctoritate munitam, esse agnoscendam, quia infal-

libili hujus Ecclesiae auctoritate ut talis suscipienda proponitur.

Postremo, si res eadem evincenda contra *Incredulum*, ostendatur a). revelationis supernaturalis, miraculorum et prophetiarum *possibilitas*, et certa a factis humanis *dignoscibilitas*. b). Authentia, seu, *axiopistia* Scripturae historica. c). Ex eâ ut tali, institutio divina Ecclesiae, quae vel solum historice considerata ut per octodecim saecula de omnibus et singulis haeresibus victrix, perpetuo una, in omnis generis bonis operibus semper foecunda, insigni sanctitate genuinorum suorum filiorum indies splendens, per se ipsa est divinae suae legationis testimonium irrefragabile. d). Solam Ecclesiam Romano-Catholicam notis internis atque externis verae Ecclesiae Christi jure gloriari, hancque demum infallibili suo magisterio Scripturam integram ut verbum Dei, seu, divina pollentem auctoritate proponere. Et profecto thesis a nemine sanae mentis negari potest, neque vel umbra existit objectae ab adversariis *petitionis principii*, seu, *circuli vitiosi*. Nihilominus *hic ut ab adversariis objici consuevit, referatur, et in forma logica refellatur.*

§. 2.

Speciatim de auctoritate verborum alienorum, quae Scriptura refert.

261. In exegesi sacrorum librorum magni momenti, et frequentissimi usus est quaestio: *An, et quam auctoritatem habeant verba, quae tamquam ab aliis hominibus prolata sacri scriptores referunt*, verbo: quae *aliena* n. 5. compellata sunt?

262. R. 1°. Ea revera fuisse pronunciata, et quidem ab illo homine, cui tribuuntur (sin etiam formâ, quâ referuntur, certe substantiâ tenus), ex ipsa inspiratione scriptorum sacrorum eadem referentium, infallibiliter certe constat. Itaque eatenus procul dubio *divina*, et proin humana auctoritate gaudent. Exemplo sint quae ut verba fratrum Joseph refert Moyses: *Ecce somniator venit: venite, occidamus eum* etc. (*Gen.*

XXXVIII. 19.-20). Eo ipso enim auctoritate divina, proin et humana, constat, certe eorum aliquos haec ipsa, vel iis simillima revera dixisse. In prolato exemplo verba, utpote manifeste in sese impia, utique in se nullius auctoritatis esse apparent.

R. 2°. Generatim vero ex eo quod auctores sacri verba aliorum hominum referunt, confici minime potest, *an, et qua auctoritate* verba ea *in sese* considerata polleant. Ut in particulari casu hac de re rite judices, tutissime uteris regulâ, a s. Augustino traditâ, quae sonat:

263. Considera „non solum *quid* dicatur, sed etiam *a quo* dicatur."

264. Ex prima parte regulae positae inferes:

a). Ejusmodi effata certo opposita cujuscumque ordinis veritati, aut morum honestati, in se nulla auctoritate pollent. Exemplo sunt jam memorata verba fratrum Joseph, hisque similia multa, puta Pharisaeorum impia in Christum dicteria: *In Beelzebub principe daemoniorum ejicit daemonia; daemonium habes*, etc. (*Luc.* XI. 15.; *Joan.* VII. 20. etc.)

b). Manifesto vera honestaque certo *humana* gaudent auctoritate.

c). Imo et *divina*, si *in se* divinitus approbata fuerint, aut solùm revelatione cognosci potuerint, qualia sunto praecepta divina *positiva*, v. g. illud, quod referente Moyse, Eva memoravit dicens: *de fructu ligni, quod est in medio paradisi, praecepit nobis Deus ne comederemus.* (*Gen.* III. 3.) Item vaticinia, v. g., illud Jacob: *Non auferetur sceptrum de Juda, donec* etc. (*Ibid.* XLIX. 10.) Exempla, in quibus verba hominum *in sese* muniuntur divina approbatione, infra n. 272. occurrent.

265. Alteram regulae partem Eximius Dom. Mart. Steijaert ita declarat. „Quod dicitur ab aliis qui in Scriptura loquentes inducuntur (nisi fuerit . . . *Propheta* aut *Apostolus in tali qualitate*, aliusve ex *divina inspiratione* loquens) non habet plus

ponderis, quam mereatur ipsius loquentis authoritas: nisi rursus illud a *Scriptura ipsa* laudetur, vel reprobetur."

266. Ex his inferes:

1°. Ejusmodi dicta hominum *infidelium*, et *impiorum* generatim merito supponuntur si qua, *humana dumtaxat* auctoritate pollere. Ratio est, quod generatim pro legitimo praejudicato haberi possit, Denm in sanctis Scripturis non per impios, aut infideles locutum fuisse.

Dr. *generatim*; nam secundum declarationem praemissam exceptio facienda est duplex.

267. a). Si constat quod ex *divina inspiratione* locuti fuerint, uti v. g. res est de impio Caipha, ubi referente s. Joanne XI. 49.-52., dixit Pontificibus et Pharisaeis in concilium adunatis: *Vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.* Hisce enim Evangelista subdit: *Hoc autem* A SEMETIPSO NON DIXIT: SED CUM ESSET PONTIFEX *anni illius*, PROPHETAVIT, *quod Jesus moriturus esset pro gente* etc. Recitatis igitur Caiphae verbis sumptis in sensu Scripturae, sc. prophetico, a Deo inspirato, utique non solum humana, sed et divina tribuenda est auctoritas.

268. b). Si *ipsa Scriptura* eorum effata approbet, vel reprobet. Si *reprobet*, evidenter nulla auctoritate gaudent. Exemplo sint quae cap. I. a ℣. 16. *liber Sapientiae* refert impiorum verba: „Impii . . . dixerunt . . . cogitantes apud se *non recte*: Exiguum, et cum taedio est tempus vitae nostrae etc. Haec cogitaverunt, et *erraverunt: excaecavit enim illos malitia eorum.* — Si autem eorum verba ab auctore sacro approbantur et assumuntur simpliciter ut vera, auctoritate quidem *divina* constat, ea revera auctoritate *humana* gaudere, verbo: *vera* esse, sed minime idcirco ipsa *in sese* auctoritate *divina* gaudent, multoque minus sic considerata dici possunt *inspirata.* Exemplum rem illustrabit. B. Paulus in epistola ad *Titum* cap. I. ℣. 12. 13. refert sequens ethnici poëtae, Epimenidis, ut videtur,

testimonium de Cretensibus: „*Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri.*" Quod probans et assumens subdit: „*Testimonium hoc* VERUM *est.* Quam ob causam" etc. Jam vero sententiae hujus relatio, assumptio et applicatio procul dubio Apostolo divinitus inspirata est, atque adeo sententia illa ùt ab Apostolo relata, assumpta et applicata fuit, certo est inspirata et divinae auctoritatis; at non ideo *in se*, vel prout extabat in libro memorati poëtae evasit veritas inspirata, aut divinae auctoritatis; sed mansit ut ante erat profani hominis sententia, atque proin in se humanam dumtaxat habet auctoritatem, de qua nunc etiam divina auctoritate constat.

269. Cum ipso s. Augustino inferes 2°. „Nec solum impiis et nefandis hominibus, sed *nec ipsis in fide parvulis* atque adhuc *rudibus et indoctis*, qui forte ibi loquentes commemorantur, tamquam canonicae auctoritati accommodamus fidem." Rem ipse magnus Ecclesiae Doctor illustrat exemplo ducto a verbis caeci nati, quae refert s. Joannes IX. 31.: *scimus quia peccatores Deus non audit*, necnon apostolorum principis, qui, nondum misso Spiritu Sancto, de quibusdam verbis suis non solum reprehendi, sed etiam satanas appellari meruit, *Matth.* XVI. 21.-23.

270. Inferes 3°. Ejusmodi verba hominum *piorum et fidei doctrina instructorum* pollent auctoritate saltem *humana*, nisi ab ipsa Scriptura reprobentur; — et insuper *divina*, si explicite vel implicite a Deo approbata fuerint; — quinimo et *scripturistica*, si ex inspiratione ab iisdem scripta referantur.

Conclusionis pars singula illustratur exemplo.

271. Conclusionis prima pars habet:.... *humana, nisi ab ipsa Scriptura reprobentur.* Sic constat, falsum esse illud sancti Eliae prophetae dictum, quod refert auctor lib. III. *Regum* cap. XIX. ỿ. 14., *derelictus sum ego solus.* Nam, *quid dicit illi divinum responsum?* Uti novimus ex subsequente ỿ. 18., et ex epist. ad *Rom.* cap. XI. 2.-4. „*Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.*" Huc etiam reduci potest consilium, quod, referente auctore libr. II. *Re-*

gum cap. VII. ℣. 3., Nathan propheta, ut homo privatus dedit Davidi cogitanti aedificare domum Domino: *Omne*, inquiens, *quod est in corde tuo, vade, fac: quia Dominus tecum est.* Factum est enim in illa nocte: *et ecce sermo Domini* ad Nathan, dicens praefatis manifeste opposita, quae habentur *l. c.* ℣. 5. et ss.

272. Conclusionis pars secunda sonat: ... *insuper divina, si explicite vel implicite a Deo approbata fuerint.* Atqui divina approbatio, eaque explicita quidem, inest

a). Iis, quae ipse Christus Dominus, vel auctor sacer adfert tamquam ab ipso Deo, aut inspirante Spiritu Sancto profata per homines, quorum verba divinitus inspirati scriptores referunt, utputa verba *Adae*, *Gen.* II. 24.: *Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae: et erunt duo in carne una.* Haec enim Christus Deo attribuit apud *Matth.* XIX. 4.-6., respondens Pharisaeis: „Non legistis, quia *qui fecit hominem* ab initio, masculum et feminam fecit eos? *et dixit*: Propter hoc dimittet homo" etc. Item b. *Petri* responsum, quod refert *Matth.* XVI. 16.: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Respondens quippe Jesus, dixit ei: „Beatus es Simon Bar Jona: quia caro, et sanguis non revelavit tibi, *sed Pater meus, qui in coelis est.*" Sic etiam s. Lucas I. 41.-46.; 66.-79. testatur, quod *Elisabeth* repleta Spiritu Sancto *dixit*: „Benedicta tu" etc.; quod *Zacharias* repletus est Spiritu Sancto, et prophetavit, *dicens*: „Benedictus Dominus" et reliqua, et similia hujusmodi alia.

b). Tali approbatione, certe implicita, fulciuntur sententiae et orationes Apostolorum, et discipulorum Stephani et Philippi, quae in *Actibus* a s. Luca referuntur; quippe quas illi *in tali qualitate*, atque etiam hi repleti Spiritu Sancto, pronunciarunt ad implendum munus suum apostolicum.

c). Nevix dubitari potest quin hujusmodi approbatione muniantur et illa, quae in Scriptura homines pii inculcare, docere, in laudem Dei cantare referuntur, puta canticum *B. V. Mariae*, *Magnificat* (*Luc.* I. 46.-55.); — *Simeonis*, *Nunc dimittis* (*ibid.* II. 29.-32.); — oratio *Annae*, quam refert auctor lib. I. *Reg.* II. 1.-10.; — verba *Samuelis* I. *Reg.* XV. 22.; — monita *Tobiae* senioris IV. 2.-20. (ex sententia quod ipse non sit libri auctor); — verba *Mathathiae*, quae refert auctor lib. I. *Machab.* II. 62., et plura similia.

d). At vero vim talis approbationis, omni salvo meliori, censerim *per se* non inesse verbis v. g. *Eliphae* „*Qui apprehendit sapientes in astutia eorum*" (*Job* V. 13.), quae b. Paulus I. ad *Cor.* III. 19. refert sub formula: *scriptum est enim.*

Formula enim ista, eique aequivalentes aliae, *per se* tantum dicunt, testimonium allatum depromptum esse ex sacra Scriptura, h. e., illud ad Scripturam vere pertinere, esse verbum Dei ratione scriptionis sub inspiratione Spiritus Sancti; sed per se non denotat, esse etiam in se, sive, ratione materiae divinum. Hoc in medio linquit, adeoque etiam, quaenam allato testimonio in se considerato insit auctoritas, divina, an mere humana. Nisi igitur aliunde constet, testimonium ita adhibitum in se divina auctoritate probari, equidem statuendum opinor, illud in se humana dumtaxat auctoritate pollere. *Pejorem sequitur semper conclusio partem.*

Dico: „Nisi aliunde constet, etc." Hujus rei exemplum habes in verbis *Sarae Gen.* XXI. 10. „*Ejice ancillam*" etc., quae s. Paulus refert ad *Galatas* IV. 30. dicens: „Sed quid *dicit Scriptura? Ejice ancillam*" etc. Ea quippe Sarae verba ipse Deus non obscure probavit *Gen. l. c.* ℣. 12. dicens ad Abraham, qui ea dure acceperat pro filio suo (℣. 11.): „Non tibi videatur asperum super puero, et super ancilla tua: *omnia quae dixerit tibi Sara, audi vocem ejus*: quia in Isaac vocabitur tibi semen."

273. Conclusionis tertia pars:... *quinimo et scripturistica*, si ex inspiratione scripto edita referantur; patet v. g. ex Scriptura Ezechiae, regis Juda: *Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi* etc., quam integre refert *Isaias* XXXVIII. 9.-20.

Repetitio §. 2.

De auctoritate verborum alienorum, quae Scriptura refert.

274. 1°. *Factum dictionis* eorumdem, auctoritate *divina* constat.

2°. Ut dijudices *an* et *qua* auctoritate verba *in se* considerata polleant, considera, non solum *quid* dicatur, sed etiam *a quo* dicatur, et ceterum in casu particulari attende regulas consectarias superius relatas.

—

CAPUT VI.

De sacrae Scripturae interpretatione.

275. Scientia vel ars Scripturas sacras interpretandi, sive, rite exponendi sensus, qui iisdem subsunt, *Hermeneutica*, sive, *Exegetica* biblica vocari consuevit. Duo haec nomina etymologice vix differunt [1]). Usus tamen loquendi hanc inter ea invexit distinctionem, ut Hermeneutica *theoriam*, Exegetica [2]) *praxin* interpretandi denotare soleat, ità ut quas prior interpretandi regulas *exhibet*, altera *applicet*, sive in praxim deducat. Re porro ipsa spectata, Hermeneutica, sive, Exegetica sensu *objectivo* est *complexus rite dispositus*, — sensu *subjectivo*, *cognitio regularum*, *quae rite adhibitae docent et aperiunt sensus sacrae Scripturae.* Hisce consideratis, caput hoc in duos §. facile abit, quorum prior agit de ipsis sensibus sacrae Scripturae, alter de regulis interpretandi Scripturam, deque subsidiis, quae studiosum Scripturarum adjuvant et disponunt ad sensum earumdem facilius ope regularum assequendum.

§. 1.

De sensibus sacrae Scripturae.

276. *Definitio sensûs Scripturae, illiusque expositio.* Generatim sensus Scripturarum congrue definitur: *Veritas, quam*

[1]) Utraque vox graecae originis est. Prior ab Ἑρμῆς, quod est nomen Mercurii, deorum internuntii, et interpretis voluntatis eorum, unde derivatum videtur substantivum ἑρμηνευς. *interpres*, et verbum ἑρμηνέυειν. quod significat *interpretari*, *explicare*, *exponere*, speciatim vero *e lingua peregrina transferre in vernaculam*, vel, *in eadem lingua sensum dictorum exponere clarius*; — et nomen ἑρμηνευτικὴ, dictio elliptica, adeoque supplenda per substantivum ἐπιστήμη, *scientia*, vel τεχνη, *ars.* — Altera ab ἐξηγεῖσθαι, quod significat *educere*, *enarrare*, *explicare*, *interpretari.*

[2]) Hoc tamen sensu stricte potius *Exegesis* (ἐξηγησις) ipsa interpretatio dicenda foret, ut quae denotat disciplinam interpretandi in usum deductam, applicatam. Cfr. cl. *Ubaldus*, vol. III. p. 2.

earum verba ex intentione Spiritûs Sancti immediate vel mediate significant.

277. Dr. 1°. *Veritas*, sive, ut aliis verbis idem enunciant alii, illa significatio, ille animi conceptus, illa res, seu, sententia, quam Spiritus Sanctus determinatis Scripturae verbis immediate vel mediate exprimere, et horum ope in animis hominum excitare intendit. Illud igitur omne, sed et solum, quod Scripturae verba ex intentione Spiritûs Sancti immediate vel mediate significant et manifestant, proprie est sensus Scripturae.

278. Dr. 2°. Veritas, quam *verba ex intentione Spiritûs Sancti*.... Hâc notâ procul dubio docemur, quod optimo jure, et quam maxime apte proprieque omnis et singulus genuinus Scripturae sensus in praehabita definitione *veritas* compellatur. Necessario enim omnis sententia, quam Spiritus Sanctus verbis Scripturae exprimi voluit, vera, imo *veritas* est. Quum enim agatur de ideis et judiciis, quae ipsum Deum auctorem habent, non possunt esse nisi *veritates*, sub ea saltem ratione reflexa sub qua, et eo sensu quo ex intentione Spiritûs Sancti in sacris Libris scripta sunt. (Cfr. n. 44.)

279. *Corollarium* 1um. Itaque hâc notâ a sensu Scripturae excluditur omnis significatio et interpretatio verborum, quae sensum pareret falsum, cum aliis Scripturae locis vere pugnantem, aut quavis alia ratione Deo indignum.

280. *Corollarium* 2um. Ultra igitur *sensus* verborum, quae in Scripturis adhibentur, probe distinguendus est ab eorum *significatione*. *Significatio* enim verborum universim est notio illa, quae vocabulis *in se spectatis* ex usu et institutione subest. Iisdem autem vocabulis varia indicare possumus et solemus; quare *significatio* verborum plerumque multiplex est. *Sensus* autem verborum etiam universim sumptus, est mentis conceptus determinatus, quem hic et nunc in his circumstantiis per ea manifestare intendimus, qui proin, nisi ambiguitate uti volumus, unicus est. Speciatim vero, quum certe a Spiritu Veritatis aliena sit omnis ambiguitas, quod universim de verborum sensu diximus, valet de sensu, quem ex intentione Spiritûs Sancti determinata verba Scripturae significant.

281. *Corollarium* 3um. Itaque hâc notâ etiam removentur quaestiones, de quibus nonnulli Theologi in utramque partem

disserunt, puta: „An Scripturae auctores secundarii *semper* eadem quae Spiritus Sanctus intenderint?", et hujus generis aliae, quae vel ideo praetermitti merito possunt, quod notionem sensuum Scripturae obvolvunt potius, quam dilucidant.

282. *Corollarium* 4um. Denique praedictâ notâ satis hactenus innuitur, sensum, quem vocant *accommodatitium*, non esse Scripturae sensum, utpote certo non a Spiritu Sancto hisce, quae tali sensu adhibentur, verbis intentum. (Plura de hac re, infra n. 314.)

283. *Corollarium* 5um. Vel ea consectaria, quae ex verbis Scripturae ope syllogismi, cujus una praemissarum a nobismet-ipsis additur, *legitime* colliguntur, (utcumque est de jure, quo haec consectariorum species a plerisque *sensus consequens* appellatur) rectissime Spiritui Sancto attribuuntur, quia ab Ipso praevisa et intenta sunt, atque adeo ad sensum, eumque litteralem pertinere dicenda sunt. A fortiori igitur ea consectaria, quae cum Scripturae verbis intime cohaerent, atque ex iisdem vel solâ accuratâ notionum, idearumque analysi, manifesta et necessaria consecutione defluunt, sin ne haec quidem jure *sensus* Scripturae vocentur, de quo tamen equidem ne vix dubito, certo certius ad sensum pertinent litteralem, atque pro certis divinisque oraculis sumi debent, quia formaliter in ipsis Scripturae verbis a Spiritu Sancto praevisa sunt et intenta. Rem totam confirmat s. Augustinus scribens [1]: „Ille quippe auctor (inspiratus) in eisdem verbis quae intelligere volumus, et ipsam sententiam" (quam illa consectaria exhibent) „*forsitan* vidit; *et certe Dei Spiritus*, qui per eum" (i. e., per scriptorem a se inspiratum) „haec" (interprete Patritio, Biblia) „operatus est, *etiam ipsam occursuram lectori vel auditori, sine dubitatione praevidit; imo* UT OCCURRERET, *quia et ipsa est veritate subnixa*, PROVIDIT" [2].

284. Dr. 3°.... *verba* IMMEDIATE *vel* MEDIATE *significant.* His adverbiis denotatur duplex sensus, sc. *litteralis* et *spiritualis*, qui Scripturae sacrae proprius ac singularis est. Praeclare haec s. Thomas explicat. „Sacra Scriptura (inquit, *Quodlibet.* VII., Q. VI., art. XIV. in O) ad hoc divinitus est ordinata, ut per eam veritas nobis manifestetur necessaria

[1]) *De doctr. christ.* lib. III. cap. XXVII.

[2]) Cfr. cl. Bouvy, *Stimulus Praedicator.* n. 47., cum iis quae tradit cl. Patritius, *Institut. de Interpretat. Biblior.* n. 9. et n. 454.-470.; paucis P. Urb. Drecker, *Praecepta eloquentiae*, n. 212., et Rudolph. Cornely, *l. c.*, n. 193. et 199.

ad salutem. Manifestatio autem vel expressio alicujus veritatis potest fieri de aliquo *rebus* et *verbis*, in quantum scilicet verba significant res, et una res potest esse figura alterius. Auctor autem rerum non solum potest verba accommodare ad aliquid significandum, sed etiam res potest disponere in figuram alterius, et secundum hoc in sacra Scriptura manifestatur veritas dupliciter. Uno modo, secundum quod res significantur per verba, et in hoc consistit *sensus litteralis*. Alio modo, secundum quod res sunt figurae aliarum rerum, et in hoc consistit sensus *spiritualis*, et sic sacrae Scripturae plures sensus competunt." Et *Summa Theol.* p. I. Q. I. art. X. „Respondeo dicendum, quod auctor sacrae Scripturae est Deus in cujus potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet (quod etiam homo facere potest), sed etiam res ipsas. Et ideo, cum in omnibus scientiis voces significent, *hoc habet proprium* ista scientia (theologica, sive scripturistica), quod ipsae res significatae per voces, etiam significant aliquid." (Cfr. *Quodlib.*, *l. c.*, art. XVI., et *Exposit. super Epist. ad Gal.* cap. IV. Lect. VII.)

285. *Definitio, et explicatio sensûs* LITTERALIS. Speciatim igitur sensus litteralis Scripturarum recte definitur: *Veritas, quam ex intentione Spiritûs Sancti verba immediate significant.*

Post praehabita animadvertere sufficit, particulâ *immediate* denotari differentiam ultimam sensûs litteralis a sensu spirituali.

286. *Divisio sensûs litteralis.* Sensus litteralis jure optimo dividi potest non solum ratione *verborum*, quae *immediate* significant res a Spiritu Sancto intentas, sed et ratione *rerum*, quae verbis Scripturae *immediate* significantur.

287. Ratione *ipsorum verborum* sensus litteralis communiter duplex distinguitur, sc. *proprius*, et *improprius*, prout verba in significatione sua propria, nativa et genuina accipiuntur, *vel* a significatione propria ad alienam *ope troporum et figurarum* transferuntur. Atque en simul ratio propter quam ab aliis vocatur *metaphoricus*, a voce graeca μεταφορέω, *transfero*,

translatus, *tropicus*, *figuratus*, universim metaphorâ cum s. Augustino sumptâ pro quavis translata locutione, ut est „de re propria ad non propriam verbi alicujus usurpata translatio." Egregie, ut solet, duplicem hanc speciem sensûs litteralis, necnon discrimen a sensu spirituali s. Thomas declarat, ubi (*Expositio super epist. b. Pauli ad Gal.* cap. IV. Lect. VII.) habet: „Per litteralem autem sensum potest aliquid significari dupliciter, sc. *secundum proprietatem locutionis*, sicut cum dico, *homo ridet*; vel *secundum similitudinem*, seu, *metaphoram*, sicut cum dico, *pratum ridet*. Et utroque modo utimur in sacra Scriptura, sicut cum dicimus quantum ad primum, quod Jesus *ascendit*; et cum dicimus, quod *sedet a dextris Dei*, quantum ad secundum: et ideo sub sensu litterali includitur parabolicus seu metaphoricus." Revera verba metaphorica et tropica ipsa quoque loquentis conceptum *immediate* exprimunt. Uti enim rectissime iterum monet s. Thomas (*Summ. Theol.* p. I. Q. I. art. X. „Ad 3um dicendum, quod sensus parabolicus (seu, metaphoricus) sub litterali includitur. Nam *per voces* significatur aliquid *proprie*, et aliquid *figurative*. Nec est litteralis sensus ipsa figura, sed id quod est figuratum. Non enim cum Scriptura nominat *Dei brachium*, est litteralis sensus, quod in Deo sit membrum hujusmodi corporale, *sed id*, *quod per hoc membrum* significatur, scilicet, *virtus operativa*." Hoc solum enim Spiritus Sanctus *immediate* vocabulo „brachii" hìc manifestare vult, nec ullo modo in propria istius vocabuli significatione animum nostrum sistere vel morari permittit; verbo: in locutione impropriâ adhibita cujusdam similitudinis causâ, vox ex intentione loquentis significat non id *a quo*, sed id *ad quod* fit translatio, adeoque manifeste a sensu spirituali discrepat. (Cfr. n. 295.)

288. Ratione *rerum*, quae verbis Scripturae *immediate* significantur, sensus litteralis condividi potest in *historicum*, qui res gestas, *propheticum*, qui futuras, *allegoricum*, qui saltem praecipue credenda, *anagogicum*, qui speranda, et *tropologicum*, qui agenda continet.

289. *Scholion* 1um. Dr. condividi *potest*; nam haec divisio, etsi a multis jure fiat, tamen non communiter recepta est, quinimo per tria nomina posteriora (per sensum, inquam, allegoricum, anagogicum et tropologicum) simpliciter intelligi solent tres *species* sensûs *spiritualis*, ut hic distinguitur a litterali.

290. *Scholion* 2um. Interim ex dictis patet, sensum *historicum* proprie non esse nisi *speciem* sensûs litteralis; atque adeo logice non rite converti cum sensu litterali in universum, adeoque triti illi versiculi, si ut *divisio* sensuum Scripturae accipiantur, jam ex hoc capite, varioque alio, peccarent; at eo modo intellecti, quo s. Thomas (*Quodlib.* VII., *l. c.*, art. XV. in O) explicat distinctionem istorum quatuor sensuum, quos versiculi illi referunt, plane recti sunt, sc. quatenus docent sacros libros *quadrifariam exponendos.*

Littera gesta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas anagogia [1]).

291. *Scholion* 3um. Metaphora continuata in pluribus verbis, aut in integra sententia efficit, quam vocant allegoriam rhetorum, seu, dictionis [2]). Ex ipsa igitur hujus notione merito statues, definitae *allegoriae* simpliciter subesse sensum *litteralem improprium.*

292. *Scholion* 4um. Si praehabita allegoria exhibetur tamquam factum, verum vel fictum sed verisimile, habetur illud similitudinis genus, quod nominatim in Evangeliis obtinet nomen *parabolae*, qua veritas vividius proponitur, efficacius commendatur atque defenditur. Si autem quaeras: *Qualis sensus hujusmodi parabolis* [3]) *subsit?* paucis respondeo: Interpretes in diversa abire, sed, omni salvo meliore, distinctione opus esse in hunc modum. *Vel* nota similitudinis expresse apponitur, et tunc sensus totius parabolae simpliciter *litteralis proprius* dicendus erit; *vel* generatim tantum indicatur, imo plane omissa

[1]) Cfr. Cornely, *l. c.*, n. 194.

[2]) A voce graeca αλληγορέω, αλλογορευω „aliud dico, aliud verbis significo."

[3]) Vox graecae est originis a vocabulis παρὰ et βαλλω, *confero*, *comparo*, unde παραβολη, *similitudo*, *collatio*, „oratio rem cum re ex similitudine conferens", sive, „deducta a simili." Dico: *hujusmodi.* Nam vox *parabola* variis sensibus in Scriptura venit. Quum enim Hebraei et vetusti Orientales documenta praesertim moralia solerent proponere per similitudines, easque saepe obscuras et aenigmaticas, hinc nomen *parabolae* in Scripturis saepe etiam usurpatur generatim pro obscura quadam atque involuta oratione; — item quandoque pro quavis gravi atque sublimi sententia, etiamsi haec satis clara sit ac aperta, qualis est parabola de invitatis ad nuptias apud *Luc.* XIV. a ℣. 7.; — denique pro proverbio, et adagio; unde Proverbia Salomonis dicuntur etiam *Parabolae* Salomonis. *Prov.* I. 1.

judicio lectoris relinquitur; atque utroque hoc in supposito, pensatis variarum opinionum argumentis, statuendum videtur, parabolis praedictis simpliciter subesse sensum *litteralem metaphoricum*.

293. *Scholion* 5um. Quoniam autem, aiente jam Seneca, „longum iter per praecepta, breve et efficax per exempla", traditam definitionem et divisionem sensûs litteralis exemplis illustrare operae pretium est. Exemplum sensûs litteralis:

1^{0}. *Historici proprii* habes in his Scripturae verbis: *Creavit Deus coelum et terram.* (*Gen.* I. 1.)

Historici improprii: Deus . . . requievit die septimo. (*Ibid.* II. 2.)

2^{0}. *Prophetici proprii: Ecce virgo concipiet et pariet filium.* (*Isaiae* VII. 14.)

Prophetici improprii: Habitabit lupus cum agno. (*Ibid.* XI. 6.)

3^{0}. *Allegorici proprii: Ego et Pater unum sumus.* (*Joan.* X. 30.)

Allegorici improprii: OCULI *Domini super justos.* (*Ps.* XXXIII. 16.)

4^{0}. *Anagogici proprii: Ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam.* (*Matth.* XV. 16.) [1]).

Anagogici improprii: Vidi sanctam civitatem, Jerusalem novam (*Apoc.* XXI. 2.)

5^{0}. *Tropologici proprii: Diliges Dominum Deum tuum.* (*Deut.* VI. 5.)

Tropologici improprii: Non potest ARBOR *bona malos fructus facere.* (*Matth.* VII. 18.)

6^{0}. Exemplum sensus *improprii* in *allegoria rhetorum:* COR. (voluntas) *regis in* MANU (potestate) *Domini est.* (*Prov.* XXI. 1.) *Vos estis sal terrae. Quod si sal evanuerit* etc. (*Matth.* V. 13.) *Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes* etc. (*Luc.* XXII. 35.)

7^{0}. Exemplum sensus *proprii* in parabola: *Qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos . . .* SIMILIS EST *homini aedificanti domum* etc. (*Luc.* VI. 47. et ss.)

8^{0}. *Improprii* in parabola Joathae: *Ierunt ligna ut ungerent super se regem* etc. (*Judic.* IX. a ℣. 8.) Nathan ad David de divite oviculam pauperis surripiente. (II. *Reg.* XII.) — Evangelicâ, de seminante (*Matth.* XIII.), de filio prodigo *Luc.* XV., etc. etc.

294. Speciatim de sensu litterali, celebris ea quaestio, quam s. Augustini auctoritas in scholarum disputationes invexit, quaeque maxime inde a tribus saeculis inter eruditos mota est, sc.: An reipsa *alicui* Scripturae loco *subsit certus, indu-*

[1]) *Speramus* quoque a malis liberari. Insuper contrariorum eadem est ratio et disciplina.

biusque sensus litteralis multiplex? non utique oppositus, sed diversus, invicem independens.

Praeprimis animadverte *non* quaeri: a). An verba alicujus loci in se spectata aliquando habeant plures significationes? Significatio namque verborum saepe multiplex est et vaga; sensus autem est unica determinata notio ab auctore certo loco intenta. (Cfr. n. 280.) — b). An unius ejusdemque loci obscurioris plures dentur litterales expositiones probabiles? In confesso enim apud omnes est, hoc quam saepissime occurrere.

R. Post Salmeron, qui primus quaestionem hanc plenius et fusius tractavit, *affirmant* quamplurimi Theologi praesertim saeculi XVII. et XVIII., quos inter etiam s. Alphonsus de Ligorio. Ceu rei exempla praecipue proferunt: a). *Gen.* I. 1. „*In principio* creavit Deus coelum et terram." b). *Ps.* II. 7. „Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego *hodie genui te*." c). d). *Isaiae* LIII. 4. 8. „Vere *languores nostros* ipse tulit." — „*Generationem ejus* quis enarrabit?" — *Negant* Estius, Beelen, Patritius, qui singuli de industriâ quaestionem tractarunt ita, ut plerique recentiores iis adstipulentur. Equidem vel ideo lubentius huic sententiae assentio, quod consequi videtur ex decreto de interpretandis Scripturis *juxta* sensum quem tenuit et tenet mater Ecclesia. Si enim sensus locorum ab Ecclesia *definitus*, unus, imo unicus est, ita et de omnibus locis *definibilibus* judicandum erit. Certe ex hac sententia facilius concipitur ratio *congruentiae* istius decreti, illudque adversus cavillationes incredulorum defenditur. Cetera argumenta in utramque partem referunt auctores laudati, copiose cl. Patritius, Beelen, et Ubaldus, vol. III. a p. 35.-57., Cornely, *l. c.*, n. 198.

295. Speciatim Scripturae proprius sensus *spiritualis* recte definitur: *Veritas, quam ex intentione Spiritûs Sancti verba Scripturae* MEDIATE *significant.* Particula *mediate* differentiam ultimam indicat a litterali etiam improprio (cfr. n. 287.) Insuper ea particula rationem continet propter quam sensus hic ab aliis [1]) vocatur sensus *mediatus*, ab aliis *realis*; ideo nempe quod non *immediate* verbis significatur, sed mediis *rebus* jam per verba significatis. Porro ab aliis appellatur sensus *mysticus* [2]), quia sub rebus per verba significatis quasi

[1]) V. g. Illmo Ranolder, qui consequenter sensum *litteralem* vocat *verbalem*, et *immediatum*.

[2]) A voce graeca μυω, *claudo* unde μυστήριον, *arcanum*, et μυστικος, i. e., *arcanus*, *abditus*, *reconditus*.

reconditus delitescit. *Spiritualis* autem, quod ex figuris aliarum rerum accipitur, et sub rebus latet, sicut *spiritus* sub corpore. — *Typicus*, quia in typo [1]) fundatur ita, ut res sensu litterali prolata sit forma, seu, figura rei, quae sensu spirituali designatur. Tandem a ss. Patribus interdum vocatur *symbolicus* [2]), nec male quatenus quivis typus symbolum est, dummodo animadvertas, non vicissim quodvis symbolum esse typum, adeoque *mera* symbola probe distinguas a typis.

296. *Scholion* 1um. *Typus* intelligitur res, eventus, persona, actio, quae *ex peculiari Dei ordinatione* rem aliam praesignificabat. Unde res significans *typus*, *forma*, *figura*; — ea vero quae per typum designatur, verbo: res significata *antitypus*, *praefigurata* appellari solet; nonnumquam tamen hae voces significatione conversâ sumuntur ita ut *antitypus* intelligatur res *praefigurans*; *typus*, res *praefigurata*. S. Paulus personas et res, quas Deus dicta ratione ad significandum ordinavit, etiam vocat *allegorias*, *parabolas*, *figuras*, *exemplaria*, *umbras futurorum*. (Cfr. Cornely, *l. c.*, n. 200.)

297. *Scholion* 2um. Typum a mero symbolo (zinnebeeld) distingues duplici regula: *Typus* est A). si res a *solo Deo potuerit* ordinari ad aliam rem praesignificandam. Itaque v. g. agnus paschalis quatenus institutus est ut memoriale egressûs Israëlitarum ex Aegypto *merum* est symbolum; quippe ipsi potuissent ritum hunc ordinare et instituere in memoriam memoratae rei praeteritae; verum quatenus praefiguravit Christum in cruce immolandum et in ss. Eucharistia comedendum, aperte typus est.

B). Si ex posteriori Scripturae loco constet, alicubi adesse symbolum, ubi tamen sensus litteralis et obvius loci antegressi symbolum nullatenus indicat. Sic v. g. ubi quae Oseas (XI. 1.) propheta in sensu litterali dixit de filiis Israël per Moysen ex Aegypto reductis, s. Matthaeus (II. 15.) tamquam de Christo reduce ex Aegypto interpretatur, ita quidem ut Christi reditu impletum testetur symbolum a Deo apud Oseam intentum. Habet enim: „*et secessit in Aegyptum: et erat ibi usque ad obitum Herodis:* UT ADIMPLERETUR *quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ex Aegypto vocavi filium meum.*" Simile exemplum habes apud *s. Matth.* II. 16.-18. coll. cum *Jeremiae* XXXI. 15. „*Vox in excelso* (*in Rama*) etc.; —

[1]) A voce graeca τύπός, *forma*, *figura*.
[2]) σύμβολον, *imago*, *figura*, σύμβολικος, *figuratus*.

apud *s. Joan.* XIX. 36. cum *Ex.* XII. 46. *Nec os illius confringetis* etc. Sunt quidem qui haec et similia loca tantum sensu *accomodato* interpretanda volunt; sed horum assertio merito ab aliis plerisque omnibus reprehenditur ut temeraria, et veluti ipsi Scripturae repugnans. Istud enim est asseverare, prophetatum non esse quod Scriptura dicit prophetatum fuisse; est dicere, non esse impletam prophetiam, quam Scriptura testatur impletam esse.

298. Quoniam ratione *rerum praesignificatarum* tres sunt species typorum, etiam triplex sensus spiritualis distingui solet: *allegoricus*, *anagogicus* et *tropologicus*.

299. Allegoria *rerum*, prima species sensus spiritualis recte definitur: *Veritas* PRAECIPUE CREDENDA *a Spiritu Sancto intenta per aliam rem verbis Scripturae jam* IMMEDIATE *significatam*.

300. Prima nota: „veritas *praecipue credenda*", sensum hunc distinguit a sensu spirituali anagogico et tropologico. Tametsi enim plura eorum quae ad sensum definitum revocari solent, *etiam* valeant ad excitandam spem, et ad informandos mores, tamen praecipue ad *fidem*, et multa quidem ejusmodi pure ad fidem pertinent. Itaque distinctio a principaliori *objecto* hìc desumitur, quod saepius alibi, nominatimque etiam de sensu anagogico et tropologico obtinet.— Nota secunda, „*per aliam rem*" etc., hunc sensum distinguit a sensu litterali res credendas exhibente.

301. Sensus spiritualis *anagogicus* [1]) intelligitur: *Veritas* PRAECIPUE SPERANDA *a Spiritu Sancto intenta per aliam rem verbis Scripturae jam* IMMEDIATE *significatam*.

302. Sensus spiritualis *tropologicus* [2]) est: *Veritas* PRAECIPUE AD MORUM INSTRUCTIONEM *pertinens a Spiritu Sancto intenta per aliam rem verbis Scripturae jam* IMMEDIATE *significa-*

[1]) Ab ἀνὰ, quae praepositio inter alia, praesertim in compositione, significat *sursum*, et ἄγω, *duco*; ex quibus compositis fit ἀνάγω, *sursum duco*, *attollo*, *in altum duco*. Unde anagogia est quasi *sursum ductio*.

[2]) Vox graeca composita ex τρόπος, i. e., *modus*, *ratio*, *mores*, et λόγος = *sermo de moribus*, *moralis*, quo nomine v. g. venit in versiculo n. 290. laudato.

tam. Mutatis mutandis, notata ad explicationem sensus spiritualis allegorici quisque facile per sese aptabit ad intelligentiam sensûs anagogici et tropologici.

303. Exempla sensûs spiritualis a). *allegorici* praebent Isaac et Ismaël, eorumque matres Sara et Agar, atque hujus cum filio ejectio. Quae, teste Apostolo, ad *Gal.* IV. 22.-31., sunt per allegoriam dicta. Haec enim sunt (significant) duo testamenta, horumque effectus. Item arca Noë (I. *Petr.* III. 20. 21.), Jonas (*Matth.* XII. 40.) Hoc modo etiam verba *In omnem terram exivit sonus eorum* etc., quae in sensu litterali de coelis et stellis Psalmista, *Ps.* XVIII. 5., scripsit, b. Paulus, ad *Rom.* X. 18., ut mihi quidem persuasum habeo, omni salva reverentia aliter opinantibus debita, adhibuit ut adstruat Evangelium toti mundo praedicatum esse. (Cfr. n. 297., sub B).

b). *Anagogici*, tabernaculum, ejusque partes, et vasa ministerii V. T. (ad *Hebr.* IX. 1.-9.; 23. 24.), iter Israëlitarum per desertum, quod Deus requievit die septimo (*ibid.* IV. 3.-9.)

c). *Tropologici*, manna, uti explicat auctor libri *Sapientiae*, XVI. 27. 28., aliaque quae Israëlitis in deserto contigerunt, quibus ad pauca redactis, s. Paulus, I. ad *Cor.* X. 1.-12., testatur: Haec *autem in figura facta sunt nostri, ut non simus* etc.... Et iterum: Haec *autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum devenerunt. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.*

304. Facile nunc percipietur ét convenientia, ét differentia sensûs litteralis et spiritualis. Inter se conveniunt quatenus uterque 1°. vere est a Spiritu Sancto intentus; adeoque 2°. vere ut sensus Scripturarum agnoscendus est (cfr. n. 308.); et 3°. *per se* eadem pollet vi probandi certa et irrefragabili.

305. Inter se differunt 1°. ratione *essentiae*, ut patet ex utriusque definitione.

2°. Ratione *termini*; omnis namque et singulus locus Scripturae habet sensum litteralem proprium aut improprium; non autem spiritualem (cfr. n. 310.)

3°. Ratione *praestantiae*. Pro diverso respectu alter alterum in aliquibus superat.

A). Si imprimis consideres *rationem formalem* sensûs, utique litteralis praestat spirituali, quatenus spiritualis — ut s. Tho-

mas ait *Sum. Th. l. c.* — „super litteralem fundatur, et eum supponit"; adeoque sensus litteralis *prius* significatur, et *clarius*, utpote *immediate* per verba, quorum sensus ex sese profecto clarior, quam is qui sub rebus latet.

B). Si autem ipsam *rem significatam* attendas, sensus spiritualis ét *re* ét *fine* nobilior est sensu litterali, sive, rebus aut personis per verba *immediate* significatis. *Re*, sicut umbrae corpus, imagini res ipsa, ac legi per Moysen datae gratia, et veritas per Jesum Christum facta praestat. — *Fine*: etenim sensus litteralis in loco in quo simul spiritualis latet, non adeo ratione sui, quam potius ad sensum spiritualem indicandum intentus fuit.

4°. Ratione *vis probativae*. Omnis namque et singulus loci Scripturae sensus litteralis, certo rite intellectus, *ex sese* efficaciter et irrefragibiliter probat veritatem in eo certo contentam, vel cum eo liquido connexam, quia ista sententia certo est a Spiritu Sancto intenta, adeoque infallibilis auctoritatis. Ex sensu autem spirituali tunc tantum argumentum irrefragabile desumi potest, quando constat *aliunde*, nempe, vel ex alio Scripturae loco, vel ex Ecclesiae magisterio, vel ex unanimi Patrum sententiâ (quod ultimum raro eveniet), eum alicui loco revera subesse. Atque vel tunc vis argumenti potius petitur ex illo Scripturarum loco, qui typum manifestat, quam ex eo qui rem probandam praefiguravit. Exemplo sit oraculum de Salomone prolatum: *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium.* Nemo sane verba haec ut in lib. II. *Reg.* leguntur, in sensu spirituali de Christo dicta esse intelligeret, nisi hac de re s. Paulus nos certiores fecisset. Itaque si his probare instituas, Christum Dei Filium esse, ea procul dubio usurpabis, non ut quae a Nathan ad Christum Deum significandum prolata fuerint, sed ut quae a b. Paulo relata atque in hunc sensum accepta sunt; quo vides argumentum in ipsius b. Pauli auctoritate consistere, sive, imprimis ex ipsius s. Pauli loco repeti.

306. *Scholion omnino practicum.* Sedulo advertatur dictum esse „ *certo rite intellectus*", et „ *veritatem in eo certo contentam, vel cum eo liquido connexam.*" Nam tantum hisce conditionibus positis cum s. Liguorio asseverare licet „ sensum litteralem esse regulam fidei, cui obloqui nefas est." Quapropter quoties dubium rationabile superest de sensu verborum Scripturae, etiam argumentum ex iis inferendum non erit certum et efficax. Etenim in argumentis ex Scriptura depromendis, aeque ac in ceteris, valet regula: „ Pejorem sequitur semper conclusio partem." Itaque cave ne in Concionibus aut Instructionibus, ubi instituis ex Scriptura *demonstrare* seu *probare* aliquam fidei veritatem, morumve regulam, utaris textu, quem probati auctores propter rationes haud spernendas in diversam partem interpretantur. Quoties enim hoc obtinet, toties dubius erit sensus. Exemplo sit notissima illa sententia s. Pauli, ad *Hebr.* IX. 26. *Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* Locum hunc nonnulli quidem, iique viri luculenti, utputa Dr. Jos. Fr. Allioli, et Fr. Xav. Schouppe, accipiunt de judicio *particulari.* Ast, an ideo secundum sanam scientiam, prudens recteque ageres, dicendo: Ex loco cit. Scripturae fide divina certum est, dari judicium *particu'are*? Minime. Nam haec eorum acceptio nequaquam certa est; imo longe potiori jure non de particulari, sed de judicio *universali* recitata verba ex contexta oratione et scopo Apostoli intelligenda sunt, quem in modum etiam plerique omnes, nominatim s. Thomas, ea interpretantur. Hoc igitur et simili in casu, ne dicas: Ex loco citato Scripturae fide divina certum est, dari judicium *particulare*; nam *Scriptura sacra*, *Spiritus Sanctus*, *s. Paulus* ait: *Statutum est* etc. Imo ne ita loquaris, quamvis unus alterve, quin etiam plures ss. Patres, multo minus utcumque probati Interpretes — quamdiu deest moraliter unanimis eorum consensus — textum aliquem in rem tuam interpretentur. Si tamen in hypothesi velis veritatem jam *aliunde* certam eorum auctoritate *comprobare*, *confirmare*, *illustrare*, hac vel simili forma utaris. „ Ex intellectu puta s. Augustini, Hieronymi, Cornelii a Lapide, alteriusve gravis interpretis, his verbis res nostra in Scripturis enunciatur, atque firmatur." Profecto namque debita erga *verbum Dei*, erga auditores nostros, et nosmetipsos, ut qui „ pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos" (cfr. II. ad *Cor.* V. 20.), reverentia postulat, ne umquam in veritatis suggestu tamquam argumentum infallibile aut certum proferamus, quod novimus dubium aut probabile dumtaxat. Ne igitur nimium fidas obvio cuivis Theologo aut Interpreti, multo minus Praedicatori vel scriptori

ascetico ; sed pro re nata consule probatum commentarium, utut exiguum, qui loci, e quo rem tuam probare cogitas, diversas assignet expositiones si vere plures probabiles dentur, aut qui saltem te moneat datum sensum haud certum esse.

307. Tangendae supersunt tres quaestiones *speciales* de sensu *spirituali*, quarum :

1ª. *Qua certitudine adversus heterodoxos constat etiam hunc sensum s. Scripturis subesse?*

2ª. *An* OMNIA *in* VETERI *T. typi fuerunt, adeoque sensum habent spiritualem?*

3ª. *An etiam* NOVUM *T. typos, et sensum spiritualem habet?*

308. R. ad 1am. Teste eximio Fr. Sylvio, *fide* certum est, etiam sensum spiritualem, seu, mysticum Scripturis subesse. Catholica haec veritas ex ipsa Scriptura sacra N. T., et Traditione, seu, unanimi omnium ss. Patrum consensu, cui et Synagoga concinit (quorum utrorumque testimonia ultro nobis cedunt adversarii, ut adeo nec nobis his immorandum *h. l.* sit), tam evidenter constat, ut supra dictis de natura, et prolatis exemplis istius sensûs, quin de industria denuo probetur, plane satisfiat iis, qui hanc veritatem negarunt, quales olim Porphyrius [1]), quem saeculo XVI. secuti sunt Lutherus, aliique e Protestantibus vetustioribus non pauci, vulgo autem cum Bauer recentiores Rationalistae, seu, *moderni*, causantes, sensum mysticum in libros sacros humanas opiniones inducere et confusionem.

309. *Scholion.* Hisce horum cavillationibus etiam nullo negotio satisfit. Etenim sensus mysticus non ille est, quem *homo* pro suo arbitrio confingit, sed quem vere constat a *Deo* fuisse intentum. Definitur namque „veritas, quam ex intentione Spiritûs Sancti verba Scripturae *mediate* significant." Sensus igitur vere talis in sacros libros non inducit opiniones humanas, sed nec confusionem. Hanc difficultatem jam s. Thomas *l. c.* plene praeoccupavit. Imprimis sibi objicit: „Videtur, quòd sacra Scriptura sub una littera non habeat plures sensus, qui

[1]) De hoc saeculi III. philosopho cfr. *Comp. H. E.* ep. II. n. 84.

sunt: historicus vel litteralis, allegoricus, tropologicus sive moralis, et anagogicus. Multiplicitas enim sensuum in una Scriptura parit confusionem et deceptionem, et tollit arguendi firmitatem." Dein difficultatem solvit in hunc modum: „Ad primum ergo (secundum praemissa in corpore articuli) dicendum, quod multiplicitas *horum* sensuum non facit aequivocationem, aut aliam speciem multiplicitatis: quia, sicut jam dictum est, sensus isti non multiplicantur propter hoc quod *una vox multa significet*, sed *quia res significatae per voces, aliarum rerum possunt* esse *signa*. Et ita nulla confusio sequitur in sacra Scriptura, cum omnes sensus fundentur super unum, scilicet, litteralem, ex quo solo potest trahi argumentum, non autem ex his, quae secundum allegoriam (typice) dicuntur, ut dicit **Augustinus in epist.** *contra Vincentium Donatistam*. Non tamen ex hoc aliquid deperit sacrae Scripturae, quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifeste non tradat" [1]).

310. Ad 2am. omnino negandum videtur, *omnia* in V. T. typos fuisse, ac omnibus V. T. sententiis subesse sensum mysticum. Oppositam doctrinam non pauci, etiam Reformati ducem secuti Joannem Cocceium [2]), tradiderunt, idcirco *Figuristae*, seu, *Allegoristae* appellati. In rem suam obtrudunt hi illa Apostoli verba: *omnia in figura contingebant illis*, et quae-

[1]) Sunt haec intelligenda secundum dicta n. 305. sub 4º., sive, ut Sylvii verbis utar, „de eo quod est ordinarium. Regulariter enim, sive, ut plurimum efficax argumentum trahi potest ex sensu litterali, et non ex mystico. Cujus ratio non est, quod unus sit majoris auctoritatis, quam alius (cfr. n. 304.); sed quia plerumque facilius et certius nobis constat quis sensus sit litteralis, quam quis sit mysticus (n. 305. sub 3º. A.) Nam ..... mysticus non ex verbis verborumque significatione cognosci potest, sed ex aliis dumtaxat Scripturis et ex Patrum Ecclesiaeque doctrina." Hanc esse mentem s. Thomae confirmatur ex ipsa s. Augustini epist. 48. „Accepi", ad quam appellat. Enimvero ad confundendos Donatistas, qui ex quibusdam *fictitiis* allegoriis apud se solos veram Ecclesiam constituere impudenter audebant, s. Augustinus circa medium laudatae epist. dixit quidem: „*Quis* autem non impudentissime nitatur *aliquid in allegoria positum* pro se interpretari?" sed et adjunxit: „NISI *habeat et* MANIFESTA TESTIMONIA, *quorum lumine illustrantur obscura*." — Similiter postrema s. Thomae verba universalia, interprete Sylvio, „non sunt accipienda omnino universaliter", sed commode, ut sit sensus: quia *fere* nihil sub spirituali etc. Cfr. Cornely, *l. c.*, n. 202.

[2]) Cox, an. 1603. Bremae natus, obiit anº 1669. Professor Univ. Lugdun. Batav.

dam Patrum effata quae sibi suffragari videantur, utputa s. Augustini *De Doct. christ.* lib. III. cap. XII. et XXII., Hieronymi ad *Dardan.* epist. 129. §. 6. etc. — Sed imprimis Apostoli testimonium nequaquam rem illorum, sed nostram potius probat. Non enim absolute scripsit „*omnia*", sed: Haec *autem omnia*, sc. insignia beneficia patribus praestita, et supplicia exemplaria propter peccata plurimis eorum inflicta, quae proxime enumeraverat ℣. 1.-10., *in figura contingebant illis*: *scripta autem sunt ad correptionem*, i. e., instructionem et admonitionem *nostram*, sc., ut ex his colligamus quid nobis agendum, quid cavendum sit, uti ipse s. Paulus inculcat ℣. 6. et deinceps. I. ad *Cor.* X. 1.-12. — Porro quod ad locum objectum, forte ancipitem, s. Augustini, et Hieronymi attinet, certe hi Patres effata sua generaliora alibi restrinxerunt, atque alii plures Ecclesiae Patres et Doctores aperte docent in V. T. non omnia ut typos esse habenda, putà Hilarius, Epiphanius, Gregorius M., Thomas [1]). Ne in re satis certa multus ac insolens sim, suffecerit sequentia s. Augustini protulisse verba, quae profecto nullam dubitationem habent, illiusque mentem luce clarius manifestant. „Mihi autem, inquit, *sicut multum videntur errare*, qui nullas res gestas in eo genere litterarum aliquid aliud praeter id, quod eo modo gestae sunt, significare arbitrantur, *ita multum audere*, qui *prorsus ibi omnia* significationibus allegoricis involuta esse contendunt." Reapse multum audent Allegoristae; nam tantum abest ut eorum doctrina Scripturae, aut Patrum auctoritate fulciatur, ut ipsi rationi repugnare videatur, ac certe periculosa sit.

311. *Scholion practicum.* Uti *virtus in medio*, ita et hac in re *medio tutissimus ibis*, si tibi regulam colligas ex his s. Ambrosii verbis: „*Omnem* legis veteris *seriem* fuisse typum futuri", haecque — ut schola loquitur — intelligas „de generibus singulorum, non de singulis generum."

[1]) Horum testimonia videsis penes Patrit., *l. c.*, n. 331. 332. 334.

312. Ad 3am. Salva reverentia aliter opinantibus debita, mihi quidem simpliciter *negandum* videtur, N. T. libris, ut talibus, typos subesse et sensus mysticos.

Dr. 1°. *Ut talibus.* Nam cum quibusdam ss. Patribus teneri potest iis factis, quae in Evangeliis commemorantur ùt adhuc ad *Veterem* Legem pertinentia, subesse typos nonnullos et sensum spiritualem.

Dr. 2°. *Typos*; nam non negatur mera quaedam *symbola* in libris N. T. ut talibus haberi. Sic quae de eversione Jerusalem Christus praedicit, recte habentur ut symbola interitus mundi. Navicula Petri fluctibus agitata secundum multos Patros symbolice indicat Ecclesiam persecutionibus obnoxiam. Christus e navicula Petri docens turbam symbolum est, Christum in Ecclesia supra Petrum fundata perpetuo fideles docere veram doctrinam salutis, et sic de ceteris hujusmodi. Verum proprie dictos typos in N. T. ut tali non haberi, mihi persuadet collata typorum ac sensus spiritualis natura cum perfectione N. Testamenti per adventum Spiritus Sancti in Apostolis completi, quam consummationem praeclare edisserit Synodus Provincialis, *Tit.* I. *cap.* IV. In eadem mecum sententia est cl. Trochon, *La S. Bible*, Intr. génér. a pag. 561.; oppositam tuetur cl. Cornely, n. 204.

Appendix de natura et usu sensus accommodati.

313. *Definitio.* Sensus accommodatus describi potest: *Sensus, quem quis verbis sententiisve Scripturae accommodat* ad designandas *res*, seu, *personas* ALIAS quam quas IISDEM *immediate, vel mediate Spiritus Sanctus significare intendit.*

314. *Corollaria.* Ex ipsa hac descriptione patet, hunc sensum a). *proprie nequaquam* esse *sensum Scripturae*, quia Spiritus Sanctus eum non intendit (cfr. n. 282.) b). *Non nisi valde improprie* dici posse *Scripturae sensum*, nempe eatenus dumtaxat quatenus quis utitur *verbis*, *sententiisve Scripturae* ad *suum* sensum exprimendum. c). Non esse cum eo sensu confundendum verum Scripturae sensum, qualis datur puta α). quum verba Scripturae producuntur ad aliquid *a simili* probandum, vel a fortiori; sic v. g. ubi verba proxime ad *Josue*, l. 5., dicta: *Non dimittam*, *neque derelinquam te*, cum s. Paulo, ad *Hebr.* XIII. 5., adhibes ad probandum, Deum sibi fideles non derelicturum, *sicut* nec Josue dereliquit, non uteris sensu ac-

commodato, sed vere litterali. Similiter ubi verba *Deut.* XXV. 4.: *Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas*, cum Apostolo, I ad *Cor.* IX. 9; I. ad *Tim.* V. 18., adhibes ad probandum, fideles divinitus constringi, ut congruentem ministris sacris provideant sustentationem, certo non, uti nonnulli volunt, sensu accommodato, neque etiam, ut reor, quod tamen aliis plerisque placet, sensu mystico, sed, ut omnino cum Patritio, et Cornely (*l. c.* p. 529.) opinor, in sensu litterali cum Apostolo argumentaris *a minore ad majus*. β). Cum profers sententias Scripturae *exempli* aut *similitudinis* causa, ut fit II. ad *Cor.* VIII. 15. coll. cum *Exod.* XVI. 18. γ). Si *proverbia* aut *praecepta universalia* ad casum particularem referas. V. g. Si his I. *Reg.* XV. 22. verbis „*Melior est enim obedientia, quam victimae*", utaris ad persuadendum alicui ut legibus obtemperet; profecto ea non usurpas in sensum accommodatum, sed in litteralem germanumque Scripturae sensum. Itaque cave ne verum Scripturarum sensum, sive litteralem, sive spiritualem *ceu accomodatum* tradas.

315. *Divisio.* Quum accommodatio fieri possit vel per extensionem ad aliam rem similem, vel per allusionem ad rem prorsus alienam, duplex plerumque distinguitur: *extensivus*, et *allusivus*.

316. Specimina sensus accomodati *extensivi* plurima habemus in sacra Liturgia; v. g. ubi quod *Ecclt^ici* XLIV. 17. scriptum est de Noe: *inventus est ..... justus, et in tempore iracundiae factus est reconciliatio*, in sacro Officio Ecclesia extendit ad quemlibet Confessorem Pontificem.

317. *Allusivi*, si v. g. verba Job, XXI. 13.: *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt*, adhiberet quis ad describendam infelicitatem et repentinam punitionem peccatorum. Ex contextu namque et communi intellectu Interpretum hic sensus plane est *ibi* a Scriptura alienus, cum verba laudata ibi impiorum felicitatem temporalem describant.

318. *Usus. An licitus est usus sensús accommodati?*

R. *Dist.* Affirmandum, si 1°. ad res bonas, et 2°. debito modo adhibeatur; — si vel unum horum desit, negandum.

319. *Scholion* 1um. Ad res bonas, puta ad veritatem jam aliunde probatam, aut certe ab omnibus admissam, plenius illustrandam, et ad pietatem fovendam, non solum licite, sed

vel laudabiliter adhiberi, constat ex praxi *Ecclesiae*, quae in sacra Liturgia id facit quam frequenter; item ex exemplo *ss. Patrum*, *ac Doctorum*, praesertim Bernardi, qui fere omnes suos tractatus, epistolas, et conciones verbis Scripturae compingunt. Denique ex ipsa rei natura, quum sententiae, imo et verba divinae Scripturae ad pios affectus ciendos mirifice valeant. — Contra species quaedam est sacrilegii *realis*, ut Theologi [1]) vocant, verba et sententias Scripturae ad profana quaeque convertere et torquere, inhibita decreto Concilii Tridentini, sess. IV. *Decret. de usu s. Libr.*, quod sic habet: „Post haec, temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quaeque aeque convertuntur, et torquentur verba et sententiae sacrae Scripturae, ad *scurrilia* scilicet, *fabulosa*, *vana*, *adulationes*, *detractiones*, *superstitiones impias et diabolicas incantationes*, *divinationes*, *sortes*, *libellos etiam famosos*; mandat et praecipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam, et contemptum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba Scripturae ad haec et similia audeat usurpare; ut omnes hujus generis homines temeratores et violatores verbi Dei, juris et arbitrii poenis per episcopos coërceantur."

320. *Scholion* 2um. Debitum modum violat qui verba et sententias Scripturae sensu accommodato accepta profert *tamquam argumentum Scripturisticum*, sive, qui sensum accomodatum pro Scripturae sensu litterali vel spirituali obtrudit ad aliquid probandum vel simpliciter confirmandum, v. g. *Ps.* XVII. ℣. 26. 27. ad probandam consuetudinem bonorum, et vitandam societatem improborum; *Ps.* X. ℣. 15. *Quaeretur peccatum illius*, *et non invenietur*, ad confirmandam immunitatem B. M. Virginis a peccato, nominatim originali, etc. etc.; nam abusus iste nimium frequens est maxime apud quosdam inconsideratos concionatores et scriptores asceticos. — *Ratio* post superius praestituta vix iteranda. Quum enim sensus accommodatus non vere sit Scripturae sensus, etiam nullum praebet *argumentum Scripturisticum*, imo, *ut talis*, sive, ut alii idem enunciant, *per se* nulla vi probandi aut confirmandi gaudet. Additae particulae *restrictivae*, „ut talis, per se", profecto innuunt sensum hunc *per accidens*, nempe tamquam argumentum *traditionis* quandoque vi probandi pollere, eâque certâ, vel plus minusve probabili, prout nempe illius usus per Ecclesiam et ss. Patres communi consensu, refert, testaturque de re determinata, cui haec illave verba Scripturae accommodant, Ecclesiae, et ss. Patrum fidem, vel certe sensa indubia, aut denique solum aliquot Patrum de re, de qua agitur, piam opinionem. Utcumque in casu speciali est, nemo non videt, quae hac ratione confirmantur,

[1]) Cfr. v. g. Dens, *Tract. de Religione*, n. 195., Liguor. l. IV. n. 40.

nullatenus confirmari *Scripturae auctoritate*, aliis verbis: tali usu verborum Scripturae non determinari sensum, quem in determinato ejusdem loco tenuit et tenet sancta mater Ecclesia aut communis consensus Patrum, a quo recedere nefas est, ut §. 2. docemur; adeoque sensum accomodatum etiam tunc *omnem* suam probandi vim ducere ex *illorum auctoritate*, *qui*, eamque majorem vel minorem *pro modo*, *quo* ii eo sensu utuntur.

321. *Scholion* 3um. perquam *practicum*. S. Franciscus Salesius vult, ut quando etiam ceteroquin rite uteris sensu accommodato, auditores tuos moneas, „nonesse ibi sensum litteralem." — Porro advertas necesse est, utrum etiam *vernacule* verbum Scripturae, quod adhibes, eamdem admittat allusionem ac latine. Exemplo sit illud *Gen.* XIX. 17. *Salva animam*, i. e., vitam *tuam*.

322. De sensu accommodato ea specialis quaestio enodanda superest: *An etiam ipsi auctores sacri verba Scripturae in sensum accommodatum usurparint?*

R. 1°. Certum est contra Theodorum, Mopsuestenum in Cilicia Episcopum, a Vigilio Pontifice in Concilio oecumenico V., Constantinopolitano II., propter doctrinam contrariam reprobatum, atque contra Socinianos et Rationalistas plerosque, prorsus *nulla valicinia* ex V. T. a scriptoribus N. T. in sensum accommodatum produci, ubi hi testimonio Prophetarum aliquid confirmare instituebant.

2°. Certum est, si umquam, *raro* sacros scriptores sive Veteris sive N. T. in hunc sensum attulisse verba aut sententias alterius loci etiam non prophetici. Unde non de facili quis aliquid tale (nempe, sensum accommodatum) sese in Scripturis deprehendisse credat.

3°. An *umquam* fecerint, salva reverentia aliter opinantibus debita, disputari potest, imo negandum videtur. Imprimis, quod nobis non constat, utrum in exemplis, quae in opinionis suae probationem alii proferunt [1]), revera sacri scriptores

[1]) Sunt *Tob.* II. 6., et I. *Machab.* I. 41. coll. cum *Amos* VIII. 10.; *Matth.* VII. 23. coll. cum *Ps.* VI. 9.; *Matth.* X. 36. coll. cum *Mich.* VII. 6.; *Matth.* XIII. 14. cum *Isaiae* VI. 9.; *Luc.* XXIII. 30. coll. cum *Oseae* X. 8.; *Act.* XXVIII. 25. cum *Isaiae* VI. 9.; ad *Ephes.* IV. 25. cum *Zachar.* VIII. 16.; *Apoc.* XI. 4. cum *Zachar.* IV. 14.

posteriores *antecessorum* verba et sententias assumpserint. Dein, hoc dato, non concesso, tota quaestio manet: An re ipsa in sensum *accommodatum* ea assumpserint? Atqui id ipsum ideo negandum videtur quod merito omnia allata specimina simpliciter explicari possunt in sensu litterali, quin solliciti simus de locis e quibus desumpta feruntur; aut si ad haec sint referenda, in posterioribus locis iterum merito exponi possunt in sensu litterali ut *a simili* dicta, aut certe in sensu mystico. Tanto magis in negantem propendeo sententiam quod ex aiente, ni fallor, necessarie incidamus in incommoda. Enimvero dato quod verba assumpta sint, tunc locis posterioribus *vel* verus *Scripturae* sensus omnino abnegandus, atque dicendum scriptores *inspiratos* iis aptasse sensum *a Spiritu Sancto non intentum*, quod sane mirum quid; *vel*, secus ac fit in aliis omnibus exemplis sensus accommodati, locis his subesse dicendi forent ét sensus *Scripturae* litteralis aut spiritualis, ét sensus accommodatus per ipsos scriptores *inspiratos* eisdem aptatus. Quod si hanc consecutionem effugere velis, dicendum erit, sensum accommodatum subesse *ipsis locis*, *e quibus verba deprompta sunt*, quod vel magis a communi acceptione et usu sensus accommodati deflectit. — Tandem quia sic omne periculum, quod ut omnino caveatur monet Patritius, *a priori* excluditur, scilicet, „ne forte, quum Scripturarum sententias aliis rebus aptatas in Scripturis quaerimus, nimium iis concedamus, qui *liberaliorem*, ut vocant, seu, quod verius dixeris, liberiorem audacioremque Scripturarum explicandarum rationem sectantur."

Repetitio §. 1.

De sensibus sacrae Scripturae.

323. I. Scientia aut ars rite interpretandi Scripturas, sive, explicandi sensus, qui iisdem insunt, vocatur *Hermeneutica*, sive, *Exegetica biblica*. Priore nomine intelligi solet *theoria*,

altero *praxis*, usus interpretandi, et *subjective* est: cognitio *speculativa* et *practica* principiorum, sive, regularum, secundum quas sensus Scripturae rite explicantur.

II. Generatim sensus Scripturae definitur: *Ea veritas, quam ex intentione Spiritus Sancti verba Scripturae immediate vel mediate significant.* — Dicendo: *ex intentione Spiritus Sancti*, a sensu Scripturae excluditur a). omnis significatio et interpretatio verborum quae sensum pareret falsum, aut quavis ratione Deo indignum; b). disceptatio quaevis de intentione et intelligentia auctorum secundariorum; c). sensus accommodatus. Eidem autem includuntur consectaria ea, quae ex verbis Scripturae manifesta et necessaria consecutione defluunt. *Detur ratio.*

III. *Divisio* sensûs Scripturae in *litteralem*, quem verba Scripturae *immediate* significant, et *spiritualem*, quem *mediate* (mediis sc. rebus aut personis prius per verba significatis) enunciant.

Subdivisio. Litteralis A). ratione *verborum* est vel *proprius*, si verba in significatione sua propria, nativa, genuina adhibentur, vel *improprius*, si ad significationem alienam transferuntur, quae poëtis et rhetoribus quam maxime familiaris est. Detur igitur *ratio*, propter quam sensus *improprius* etiam vocatur *metaphoricus, translatus, tropicus, figuratus.* — B). Ratione *rerum* condividi potest a). in *historicum*, b). *propheticum*, c). *allegoricum*, d). *anagogicum*, e). *tropologicum*, sed c. d. e. plerumque *tantum* intelliguntur de sensu spirituali.

Nota 1°. Allegoria rhetorum, seu, dictionis simpliciter habet sensum *litteralem improprium*, quippe quae non aliud est quam metaphora continuata.

Nota 2°. Parabolae *Evangelicae*, si nota similitudinis expresse apponitur, sensum habent litteralem *proprium*; si autem generatim dumtaxat indicatur, vel omnino omittitur, sensum litteralem *improprium*. — *Quid hìc parabola significat, et quibus aliis significationibus vox haec in Scripturis venit? Divisionem sensûs litteralis, quâ late patet, specifico exemplo illustra.*

Nota 3°. Celebris controversia est: An *re ipsa* (nam non quaeritur: An Spiritus Sanctus — si ita Ei placuisset — uni eidemque loco Scripturae *potuisset* plures simul subjicere sensus *litterales*; neque: An verba alicujus loci in se spectata aliquando habeant plures significationes; neque: An loci obscuri plures dentur interpretationes probabiles etc.) sed: An *re ipsa alicui Scripturae loco subsit indubius sensus litteralis multiplex?* Equidem negarim. *Quare?*

Sensus *spiritualis* (= latens sub rebus sicut *spiritus* sub corpore) quid sit, vide supra, notando vim particulae *mediate*, quâ manifeste distinguitur nominatim a sensu litterali *improprio*. *Hoc declara.* Detur *ratio* propter quam etiam vocatur sensus a). *mediatus*, b). *realis*, c). *mysticus* (μυω = claudo), d). *typicus*, e). *symbolicus* (omnis typus est symbolum, non vicissim).

Typus = res (eventus, actio, persona), quae *ex divina ordinatione* rem aliam significat. Res haec praefigurata *antitypus* rectissime appellatur; nomina tamen haec converti solent. — Typum a mero symbolo dignosces duplici regula. Veri nominis *typus* occurrit a). *si a solo Deo res*, de qua agitur, *potuerit* ordinari ad aliam rem praesignificandam. *Quatenus igitur agnus paschalis* TYPUS, *aut* MERUM SYMBOLUM*?* b). si certo constet alicubi adesse symbolum, ubi tamen sensus litteralis et obvius illud nullatenus indicat v. g. *Ex Aegypto vocavi . . . Vox in Rama. . . .* Cave ne haec et similia ad sensum accomodatum detorqueas; item ne mera symbola typis annumeres. Sensus *spiritualis* habita ratione triplicis speciei rerum praesignificatarum subdividitur a). in *allegoricum*, qui sin unice, certe potissimùm credenda, b). *anagogicum* = speranda, c). *tropologicum* = agenda *mediate* significat. Res exemplo *specifico* elucidetur.

IV. *Convenientia et differentia* sensûs litteralis et spiritualis. *Uterque* a). vere a Spiritu Sancto intentus, adeoque, b). vere ut sensus Scripturae agnoscendus est (quod nominatim de

sensu spirituali *fide* certum est contra Porphyrium, Lutherum, et *modernos*, quorum cavillationibus, sc. sensum hunc in libros sacros inducere opiniones humanas, et confusionem, paucis satisfac ex n. 309.); atque c). ut *per se* ejusdem auctoritatis divinae ad aliquid probandum.

Differunt autem a). ratione *essentiae*, b). *termini*, i. e., omnis et singulus Scripturae locus habet sensum litteralem proprium aut improprium; non autem sensum spiritualem (quod est contra *Figuristas*, seu, *Allegoristas*, qui multum videntur audere ubi contendunt, prorsus *omnia* in V. T. typos fuisse, et habere sensum mysticum. *Dico*: in V. T. Nam libris N. T. ut talibus, typi non videntur subesse). c). Ratione *praestantiae*. Nam pro diverso respectu alter alteri praestat. Si consideres 1°. *ipsam rationem formalem* sensûs, profecto litteralis praestat spirituali, quatenus spiritualis „*super litteralem fundatur, et eum supponit*", adeoque litteralis tempore *prius* et, utpote per ipsa verba, *per se* etiam *clarius* significatur. — Si autem 2°. consideres *ipsam rem significatam*, sensus spiritualis ét *re* nobilior est, sicut umbrae corpus, imagini res ipsa, ac legi per Moysen datae gratia, et veritas per J. C. facta praestat; ét *fine*, quare et prior fuit in intentione divina. d). Ratione *vis probativae*; sensus litteralis certo rite intellectus (cave ne sciens dubium pro certo adferas) *ex sese* infallibiliter probat veritatem in eo certo contentam vel cum eo evidenter connexam. Sensus autem spiritualis hac probandi vi tantum gaudet, quando *aliunde* — ex Scripturâ, doctrinâ Ecclesiae vel Patrum — certo alicui loco inest, et vel tunc vis argumenti non tam petitur ex loco qui rem probandam praefiguravit, quam qui typum manifestavit. *Ego ero ei in patrem*.....

V. Sensus accommodatus 1°. recte describitur *is, quem quis verbis sententiisve Scripturae accommodat ad designandas res, seu, personas* ALIAS, *quam quas* IISDEM *immediate, vel mediate Spiritus Sanctus significare intendit.* Itaque a). hic sensus proprie nequaquam est *Scripturae* sensus, utpote a Spi-

ritu Sancto non intentus, et b). non nisi valde improprie ita dici potest, sc. eatenus dumtaxat quatenus quis utitur verbis sententiisve Scripturae ad *suum* sensum exprimendum. c). Nefas est cum eo confundere verum *Scripturae* sensum, qualis v. g. adest si verbis Scripturae probas quid vere *a simili*, vel *fortiori*; item ubi ea adfers exempli aut similitudinis gratia, vel proverbia aut praecepta generalia ad casum particularem refers.

2°. Distinguitur *extensivus*, et mere *allusivus*.

3°. *Usus* illius licitus, imo laudabilis, si rite, i. e., *per se* tantum ad *illustrandam* veritatem, ciendosve pios affectus adhibeatur. Probatur exemplo Ecclesiae in s. Liturgia, et Patrum, ac rei naturâ. Contrà abusus est si eo sensu, *ut tali* (aliud *per accidens* obtinere potest ex auctoritate Patrum, ubi hoc modo vere testantur fidem, vel sensa Ecclesiae) quid probare vel confirmare tibi sumis. Imo sacrilegii *realis* species est, si sic verba sententiasve Scripturae ad profana quaeque — quod absit — converteres aut detorqueres. Ubi visum fuerit uti sensu acccommodato, pro voto s. Francisci Salesii, admone auditores, maxime simplices „non esse ibi sensum litteralem", et vide, utrum etiam *vernacule* subsistat.

VI. Ipsi scriptores inspirati 1°. N. T. certo *numquam* in hunc sensum protulerunt vaticinia V. T., ut his aliquid probarent.

2°. Certo tam Veteris quam N. T. scriptores, si umquam, *raro* sic usi sunt Scripturis anterioribus.

3°. An *umquam*, ut videtur, disputari potest, imo equidem simpliciter negarim. (Plura n. 322.)

§. 2.

De regulis, et subsidiis interpretandi Scripturam.

324. *Praenotetur* 1°. Definitio *nominalis*, declarans sensum quo memorata nomina: *regulas*, et *subsidia* interpretationis bi-

blicae hìc sumimus, utique necessaria est. Varie enim a variis accipiuntur, nec mirum, quum ex sese plura significare possint, nec usu communi ad unum restricta sint. Facile fatear, re quidem logice spectata, optime cl. Ubaldum [1]) distinguere subsidia in *remota*, et *proxima*, haecque iterum in *criteria*, et *regulas*. Pro instituto autem nostro criteria a regulis perpetuo distinguere, eaque singillatim declarare, vix opus ducimus, quum verbo indicari possint, et ex ante aut alibi praestitutis merito assumantur. Ut jam ab initio hujus capitis (n. 275.) satis innuimus, subsidia *remota* intelligimus, quae proprie non aperiunt alicujus loci sensum, quod subsidiis *proximis*, ipsis, inquam, criteriis et regulis interpretandi proprium est, sed studiosum Scripturarum juvant, disponuntve ut earumdem sensum genuinum facilius, ope regularum, percipiat.

325. *Praenotetur* 2°. *Divisio regularum et subsidiorum* in *rationalia*, *et dogmatica*.

Quatenus sacra Scriptura scripta est ab hominibus et pro hominibus humanâ linguâ et formâ uti ceteri libri, profecto ad ejus intelligentiam et interpretationem opus sunt regulae et subsidia ceteris aliis hominum scriptis interpretandis communia, seu, *rationalia*, i. e., *quae in ipsa sana ratione fundantur*, *ab eaque suggeruntur*. — Quatenus autem Scripturae libri Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt, necessario ad eorumdem sensum genuinum assequendum, statuendumque adhibenda sunt et regulae ac subsidia *dogmatica*, i. e., *quae in dogmatibus revelatis fundantur*, *atque ex his profluunt*. Dogmata autem istiusmodi quae faciunt ad interpretationem Scripturae, speciatim duo notanda sunt. 1um. Ipsa divina inspiratio librorum Scripturae. Etenim ex Scripturae inspiratione sponte sua profluit ejusdem in omnibus veritas absoluta, verbo: infallibilitas. 2um. Divinitus Ecclesiae commissa custodia et magisterium integri verbi Dei, tam divinitus traditi quam scripti. Ex hoc Ecclesiae munere sequitur a). Ecclesiae competere authenticum judicium de sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, b). quod quaevis interpretatio, quae quidem vera sit, necessario etiam cum Traditione divina consentire debet, quodque c). cum analogia fidei catholicae pugnare nequit. Atque tria haec: a). Scripturae, inquam, in omnibus infallibilitas; b). Ecclesiae infallibilitas in rebus ad aedificationem doctrinae christianae quomodocumque pertinentibus; c). harmonia totius doctrinae revelatae, proprie *criteria* summa sunt interpretationis biblicae, quibus innituntur plures *regulae practicae*, quae illorum usum docent.

[1]) *L. c.*, vol. III. a p. 131.-349.

326. *Corollarium.* Ex praemissis consequitur Rationalistarum, et Protestantium interpretationem Scripturarum mancam esse, et privatam dumtaxat, atque etiam in gravissimis rebus fidei et morum fluctuantem, mutabilem, et, experientia teste, in dies fere singulos variam. Rationalistae quippe, spretis omnibus subsidiis dogmaticis, contendunt in interpretandis libris sacris, non secus ac in profanis, unice insistendum esse regulis communibus, atque re ipsa ferme solis regulis philologicis insistunt. Protestantes etiam Orthodoxi una cum Rationalistis spernunt omnium subsidiorum dogmaticorum interpretationis biblicae *supremum*, infallibile, inquam, Ecclesiae Romano-Catholicae magisterium. Nihil ergo mirum acatholicos saepius adeo frigidas, ineptas imo et absurdas tradere expositiones nonnullorum Scripturae textuum alioquin satis per se apertorum; imo illorum quam plures quam plurima confixisse vel amplecti systemata interpretandi perversa, non solum ipsi dignitati Scripturarum detrahentia, sed et ab ipsa ratione evidenter aliena. Talia sunt utputa systema *accommodationis positivo dogmaticae*, cujus auctor *novae Exegeseos* parens Joan. Salomon Semler, Professor Halensis; — systema *interpretationis moralis*, quod tradidit Emmanuel Kant, Prof. Regiomontanus (Königsberg); — systema *interpretationis psychologicae*, quod excogitavit Henr. Eberhardus Gottlob Paulus, Prof. Heidelbergensis; — systema *interpretationis mythicae*, cujus praecipuus patronus David Strauss, uti systematis *legendarii* Ernest Renan.

327. Principia, quibus haec systemata rationalistica innituntur, anathemate percellit Concilium Vaticanum, sess. III. *can.* 4. *de Fide*, definiens: „Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci numquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari; anathema sit." Ipsa systematum placita authentico judicio P. M. Pius IX. compescuit, damnans in *Syllabo*, §. 1. propositionem VII., quae sonat: „Prophetiae et miracula in sacris Litteris exposita et narrata sunt poëtarum commenta, et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Jesus Christus est mythica fictio." Summo jure in

pseudo-philosophos, qui horrenda adeo, atque impia et blasphema systemata docent, transferuntur verba Apostolica (ad *Rom.* I. 21. 22.): *Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum: Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Ceterum speciatim systema mythicum expositum et refutatum vide in *Tract. de vera Relig.* n. 250.-258.

328. *Praenotetur* 3°. *divisio ipsius interpretationis* Scripturarum in *doctrinalem* et *authenticam.* Interpretatio *doctrinalis* ea audit, quae a quovis doctore privato instituitur secundum sanae hermeneuticae, sive, exegeticae regulas, ad certam quidem, plerumque vero ad pleniorem textus intelligentiam. Patet quare haec interpretandi species etiam *scientifica* appellatur et *exegetica.*

329. *Authentica* generatim in Jure ea dicitur interpretatio, quae ab ipso legislatore procedit, ideoque vim legis habet, atque in judicio adeo fidem facit, ut rejici a nullo, imo ne in dubium quidem vocari legitime queat (cfr. n. 211.) Potest autem interpretatio duobus modis ab ipso legislatore procedere, scilicet vel *immediate*, vel *mediate.* — *Immediate*, cum ipse legislator per se mentem suam declarat. *Mediate*, cum declaratio fit ab eo qui legislatoris vices gerit, ejusque auctoritatem repraesentat ita, ut hic interpretationes illius tamquam suas agnoscat. Atqui vera Christi Ecclesia Romano-Catholica aliquando quidem priori modo, plerumque autem altero modo authenticas Scripturarum interpretationes exhibet. *Primo* modo, cum fideliter a se custoditas interpretationes, quas ipse Christus veteris Testamenti, ipsi Apostoli etiam novi Testamenti viva voce tradiderunt, ipsa tantummodo testatur ac fidelibus proponit [1]). *Secundo* modo, cum proprio judicio, eoque ex assistentia Spiritus Sancti infallibili, nomine et auctoritate ipsius Dei, verum, germanumque Scripturarum sensum interpretatur, declarando hanc esse ipsius auctoris earumdem principis mentem in hoc illove loco, de quo controversia exorta fuerit, vel cujus sensum definire ad aedificationem doctrinae christianae ipsa opportunum judicaverit. Unice quippe Christus veram suam Ecclesiam instituit verbi sui custodem ac magistram, ex Spiritus sui Sancti assistentia in rebus fidei et morum infallibilem. Itaque et solius Ecclesiae Romano Catholicae est *dogmatice* judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum. Patet iterum quare haec altera interpretationis species etiam vocatur *auctoritativa*, et *dogmatica.*

[1]) Ad pleniorem horum intelligentiam consule cl. Ubaldum, *l. c.*, p. 263. sub 2°.

I.

De regulis dogmaticis interpretandi Scripturam.

330. *Suprema interpretandi regula a Concilio Tridentino descripta.* Initium ducimus ab explicandis regulis dogmaticis, utpote dignioribus et prae ceteris necessariis, atque propter eamdem rationem imprimis exponimus authenticum Ecclesiae magisterium, sive solemne, sive ordinarium, utpote quod, sicut *generatim* vocatur *regula fidei* proxima, ita *etiam speciatim* est *regula intelligendi* Scripturas, atque complectitur consensum Ecclesiae, Patrum, et totius fidei catholicae. Hoc sensu intellectum Ecclesiae consensum Synodus Tridentina (sess. IV. *Decret. de usu s. libror.*) explicate exhibet ut supremam regulam interpretationis, dicens: „*Praeterea, ad coërcenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo, suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat; etiamsi hujusmodi interpretationes nullo umquam tempore in lucem edendae forent. Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, et poenis a jure statutis puniantur.*"

331. *Acta Concilii Vaticani circa relatum Tridentinae Synodi decretum.*

Concilium Vaticanum circa relatum Tridentinae Synodi decretum quatuor praestitit. 1°. Testatur illud decretum esse salubriter latum; sed 2°. a quibusdam hominibus prave exponi; atque ideo 3°. idem decretum renovat, et 4°. illius mentem authentice declarat. Singulum patet ex ipsis verbis, quibus Concilii Vaticani Patres utuntur, sess. III. cap. II. „*Quoniam*, inquiunt, *quae* sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coërcenda petulantia ingenia *sa-*

lubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, *idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus*, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, *is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit*, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sacrarum; *atque ideo nemini licere* contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari."

332. *Occasio* et *scopus* praehabiti decreti Tridentini.

Decreti edendi *occasio* fuit petulantia hominum imprimis haereticorum, sed et nonnullorum catholicorum, quos inter ipse Thomas de Vio, Card. Epcus Cajetanus, qui neglecto, aut spreto consensu Ecclesiae vel Patrum, suae autem prudentiae innixi, Scripturam in rebus fidei et morum ad suos sensus torquere audebant. *Scopus* fuit *coërcere* speciatim sui, sed et cujusvis subsecuturi temporis *ingenia* istiusmodi *petulantia*.

333. Eadem circa hujus Tridentini decreti *indolem* a Theologis movetur quaestio ac circa decretum de authentia Vulgatae, nempe utrum *dogmaticum* sit, an *disciplinare*. — Utputa cl. Ubaldus (*l. c.*, vol. III. p. 260.) tenet, legem esse *disciplinarem*. „Quamvis enim, ait, ad catholica principia revocentur praedictae regulae Tridentinae, a Concilio tamen proponuntur non ad modum definitionis doctrinalis, sed ad modum normae practicae seu praecepti, ut apparet ex toto contextu Decreti, et ex sanctione apposita, quae non est *anathema contra negantes*, ut fit in definitionibus dogmaticis, sed sunt *poenae canonicae* per Ordinarios infligendae *contravenientibus*, id est, violantibus praeceptum." Atque haec ille.

334. Contrà Cardinalis Franzelin (*Tract. de div. Tradit.*, Th. XVIII. p. 225.) cum Illmo Ranolder (*Hermeneut.* ed. 2ae. part. III. §. 56. p. 277.) tuetur, decretum esse *dogmaticum*, quinimo sententiam oppositam non minus quam mox n. 337. referendam proscriptam censet, „Nec minus, inquiens *l. c.*,

excluditur eorum opinio, qui in eodem decreto tantum cautionem quandam disciplinarem, non vero declarationem et doctrinam dogmaticam ac irreformabilem agnoscebant."

335. Argumenta potissima, quibus evincatur decretum Tridentinum enunciare verum et proprie dictum praeceptum dogmaticum, desumuntur 1°. ex ejusdem *objecto*, quod expresse restringitur „ad res fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium." — 2°. Ex *connexione* hujus decreti cum duobus praecedentibus, de Scripturis canonicis, et de authentia Vulgatae declarata praesertim in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae per se pertinentium. — 3°. Ex ipsius decreti *naturâ*, seu, *fonte* ex quo suâpte naturâ profluit. „Equidem affirmo, inquit Card. Pallavicinus, Concilium neque praescripsisse, neque coarctasse *novis* legibus rationem intelligendi Dei verbum; sed declarasse illicitum *et haereticum, quod suâpte naturâ erat hujusmodi, et prout semper habitum ac declaratum fuerat a Patribus, a Pontificibus, a Conciliis.*" lib. VI. cap. XVIII. n. 2. Ita ille. Lege etiam n. 3.-6., ac Ranolder, *l. c.*, §. 61.

336. Praehabitum decretum Tridentinum *prave exponunt* 1°. qui contenderunt, eodem si quae norma interpretandi Scripturas positiva fuerit praescripta, eam tamen non obligare in conscientia, sed esse *legem pure poenalem*. Horum opinionem falsam esse, atque decretum Tridentinum — ut hìc cum cl. Ubaldo loquamur — „praeceptum esse obligans graviter et in foro interno apparet manifestissime ex verbis Concilii: *decernit, ut nemo... interpretari audeat*; et ex gravibus poenis contra inobedientes irrogatis, quae quidem legem non constituunt, sed constitutam supponunt; prius enim fertur praeceptum gravibus illis verbis, et postea additur: *qui contravenerint... puniantur.*" Poenae jam olim contra hos a Jure statutae referuntur in *Decr. Gratiani*, p. II. causa XXIV. cap. *Haeresis*, et *Quidam*, maxime ad finem Q. III.

337. Mentem decreti Tridentini prave exponunt 2°. „qui — ut verbis utar Card. Franzelin — cum D^re^ Jahn fas esse aiebant hujusmodi Scripturae loca (quorum sensus sive solemni

Ecclesiae judicio, sive unanimi consensu Patrum declaratus est), sensu etiam diverso interpretari, et negare eum sensum his ipsis locis subesse... dummodo nulla inferatur doctrina ceteroquin catholicae fidei adversa, hocque solo sensu negante decretum Tridentinum esse accipiendum."

338. Ut pravitas hujus interpretationis, atque simul genuinus decreti sensus cuique pateat, praevie animadvertimus decretum formâ negante latum „*ut nemo contra eum sensum... aut unanimem consensum.... Scripturam interpretari audeat*", duo continere; videlicet 1°. ut nemo audeat interpretari Scripturam sensu repugnante doctrinae universali, etiamsi sensus loci Scripturae in quaestionem vocati *non* sit ab Ecclesia definitus. Ita decretum habet sensum *negativum*, atque coïncidit cum *analogia fidei*, de qua mox dicturi sumus, quatenus haec est regula *negativa* interpretandi Scripturas. At 2°. directe et explicite statuit, ut nemo audeat Scripturam interpretari contra sensum loci determinati ab Ecclesia definitum, sive, contra eum sensum, quem in determinato loco tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum. Ita sensus decreti aequipollet affirmanti, ut nemo nisi *juxta* hunc sensum Ecclesiae Scripturam interpretetur.

Atque hunc esse genuinum decreti sensum probatur 1°. Ex sententia sin certa, certe longe verisimillima, quod *sensus litteralis unius ejusdemque loci Scripturae de facto est tantum unus* (cfr. n. 280. et 294.); unde interpretatio, quae non est *juxta sensum definitum*, i. e., non modo interpretatio contradictoria vel contraria sensui definito ab Ecclesia, sed etiam explicatio ita diversa, ut ille ab Ecclesia definitus sensus in hoc determinato textu contineri negetur, eo ipso est „*contra* eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, aut etiam *contra* unanimem consensum Patrum."

2°. Certo ex professione fidei ab universa Ecclesia recepta, quâ Pius IV. authentice decretum Tridentinum formulâ affirmante interpretatus est, dicens: „Sacram Scripturam *juxta* eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam umquam, nisi *juxta* unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor."

3°. Postremo ex solemni et ita perspicua declaratione Concilii Vaticani, ut nemini ullum dubium superesse possit, qui ex illius verbis n. 331. recitatis, quod ad rem praesentem spectat, imprimis ea notaverit, quae jam *ibid.* sublineanda curavimus: „ut . . . *is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem* . . .; atque *ideo nemini licere . . . interpretari.*"

339. Mentem decreti prave exponunt 3°. qui ad tramites cl. Antonii Günther istud decreti incisum „sensum quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia" interpretantur ita, ut sensus, quem antecedentibus aetatibus Ecclesia tenuit, definivitque, non contineat veritatem et veram Scripturae intelligentiam simpliciter, sed *aliquam* dumtaxat veritatem, quae quidem ei tempori, quo edita interpretatio Ecclesiae, aptissima fuerit, sed non perfecta, absoluta, ast ope scientiae philosophicae est perficienda. Quod paradoxum universim damnat Concilium Vaticanum *Sess.* III. cap. IV. et can. 3. dicens: „Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et *infallibiliter* declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum *is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta Mater Ecclesia, nec umquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum.*" Cui definitioni respondet canon 3us: „Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando *secundum progressum scientiae sensus sit tribuendus alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia*; anathema sit."

340. Denique 4°. qui tenendum sensum Ecclesiae et communem consensum Patrum restringunt ad ea quae *directe* ad aedificationem doctrinae christianae pertinent, universim negantes, Ecclesiae esse judicare de disciplinis humanis, adeoque et de rebus per accidens revelatis in Scripturis, puta de rebus per se philosophicis, historicis, chronologicis, aliisque id generis in Scriptura occurrentibus, atque aientes, res hujusmodi cum eâ libertate tractandas esse, ut assertiones philosophicae,

historicae et hujusmodi ceterae, etsi doctrinae revelatae adversentur, tamquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint. Nemo est qui non videat, postulatum hoc *Rationalismum* sapere, et oppido falsum esse. Tametsi enim Ecclesia non consuevit rerum *per accidens* revelatarum sensum definire, nisi quatenus ad aedificationem fidei christianae *indirecte* pertinent, i. e., quatenus ex suo judicio necessum est harum sensum declarare ad sartas tectasque servandas ipsas res fidei et morum *per se* revelatas, certo tamen summum nefas est, judicium Ecclesiae restringere ad solas res *per se* revelatas aut veram dissensionem fingere fidem inter et rationem, huicque in conficto conflictu vel partes primas assignare. Merito igitur Concilii Vaticani Patres etiam hanc erroneam interpretationem, qua longe patet, aperte solemniterque proscripserunt, *Sess.* III. cap. IV. et can. 2. aientes: „Porro Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit, fidei depositum custodiendi, *jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis* scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam, et inanem fallaciam. Quapropter omnes Christiani fideles hujusmodi opiniones, *quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint*, non solum prohibentur tamquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino." Quapropter can. 2. edicitur: „Si quis dixerit, disciplinas humanas eâ cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tamquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit."

341. His praestitutis, prima et princeps regula interpretandi Scripturam est: *In rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae directe vel indirecte pertinentium, is pro vero sensu Scripturae habendus est, quem in determinato loco tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia; nec licet contra hunc sensum Scripturam interpretari.*

342. Post superius habita, ad rectam regulae *intelligentiam* sufficit animadvertere prudentiam Patrum Concilii Tridentini. Consulto enim *non* dixerunt — uti tamen nonnulli intellexisse videntur — *ad aedificationem* FIDELIUM; quia tunc omnia omnino Scripturae loca comprehenderentur, dicente Apostolo ad *Rom.* XV. 4.: „*Quaecumque* enim scripta sunt, *ad nostram doctrinam scripta sunt*"; sed dixerunt: *ad aedificationem* DOCTRINAE CHRISTIANAE, quod valde diversum est, et ea tantum loca complectitur, quae ex ipsius Ecclesiae judicio *directe* vel *indirecte* ad res fidei et morum pertinent. Porro ex ipsis his verbis apparet, in ceteris rebus, quae fidem aut mores neque *directe* neque *indirecte* attingunt, quales quam plurimae in Scripturis occurrunt, interpreti relictam esse libertatem suo sensui prudenter indulgendi.

343. Pro rectae regulae *usu* nota dictum esse: Is pro vero sensu Scripturae habendus est, quem *in determinato loco* tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia. Sensus namque Scripturae, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, 1°. *infallibiliter* certo *practice* cognoscitur dumtaxat, quum sive Summus Pontifex ex cathedra loquens, sive Concilium generale de determinati Scripturae loci sensu solemne judicium ferunt ita, ut manifesto eorum propositum fuisse pateat hujus loci singularis sensum authentice declarare, verbo: definire sensum, quem Spiritus Sanctus inspirando scriptionem determinato loco expressum voluit.

344. *Exempla.* Ita v. g. res est de sequentibus textibus: a). *Joan.* X. 30. *Ego et Pater unum sumus* substantiâ, naturâ, ut definivit Concilium Sardicense. b). *Joan.* I. 1. intelligendum esse de vera Christi divinitate, v. 14. humanitate. c). *Joan.* XV. 26.; XVI. 13. et sq., de Spiritus Sancti vera divinitate, atque a Patre, Filioque processione. d). *Exod.* XX. 4. *Non facies tibi sculptile* dictum esse Judaeis, non autem Christianis, adeoque non obstare recepto in Ecclesia usui et cultui imaginum, uti definivit Concilium Nicaenum II. e). *Joannem* XIX. 33.-35. rectum in praemissis factae rei ordinem tenuisse, narrando, quod Christo *jam mortuo*, unus militum latus

ejus aperuit, definivit Concilium Viennense [1]). f). Ad *Rom.* III. 24. 28. justificari hominem per fidem, et gratis, non esse intelligendum de sola fide, neque ita ac si fides, aut opera fidem praecedentia ipsam justificationis gratiam promererentur. Consule *Trid.* Sess. VI. cap. VIII. et IX. g). Ejusdem epist. V. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit* etc. intelligendum esse de propagatione peccati originalis, propter quod „etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt", baptizandi sunt, et „in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt", Sess. V. *De pecc. origin.* n. 2. 4.; atque proin quod dicitur *Matth.* XXVIII. 19. intelligendum ita, ut etiam parvuli agnoscantur subjectum capax baptismi, et quod etiam his Baptismus est necessarius ad salutem, secundum illud *Joan.* III. *Nisi* QUIS *renatus fuerit ex aqua* etc., quae porro aqua vera et naturalis, ut materia necessaria Baptismi intelligenda est ex Sess. VII. can. II. h). *Hoc est corpus meum*, de reali Christi praesentia in ss. Eucharistia, Sess. XIII. cap. I., et „illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem* Christum instituisse Apostolos sacerdotes, et ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum, Sess. XXII. can. II. i). *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata* etc. de potestate remittendi et retinendi peccata in Sacramento Poenitentiae, Sess. XIV. cap. I. et can. III. j). *Jacobi* V. 14. 15. doceri materiam, formam, proprium ministrum, et effectum Sacramenti Extremae Unctionis, *ibid.* cap. et can. I. et sq. k). Hisce verbis Christi apud *Matth.* XVI. 16.-19. *Beatus es Simon Bar Jona* etc. et *Joan.* XXI. 15.-17. *Pasce agnos meos: Pasce oves meas*, primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe b. Petro Apostolo promissum atque collatum fuisse declarat Concilium Vaticanum, Sess. IV. cap. I. — Atque hi certo praecipui sunt Scripturae loci, quorum sensum Ecclesia solemni judicio authentice declaravit.

345. *Scholion.* Ea autem Scripturae effata, quae a Pontificibus quidem in Bullis dogmaticis, et a Conciliorum Patribus in decretis inducuntur, sed vel explicandi gratiâ, vel ut objectioni respondeatur, vel obiter et in transcursu, verbo: praeter institutum praecipuum, de quo definiendo agebatur, non habenda sunt *definita* in sensu quo laudantur; attamen vel hujusmodi interpretationes gravem utique habent auctoritatem.

346. Itaque apertius quidem et facilius ac modo omnibus

[1]) Contra errorem Joannis Olivae, n. 8. cfr. Denzinger, *Enchiridion Symbol.* etc. n. 418. et Hefele, *Conciliengeschichte*, T. VI. §. 701. p. 475. sq.

accommodato, quis sit sensus, quem Ecclesia tenuit et tenet, infallibiliter certo innotescit ex solemni definitione sensûs alicujus loci Scripturae per Pontificem ex cathedra loquentem vel Concilium generale, attamen sic etiam cognosci potest 2°. *ex unanimi consensu Patrum*, ubi nempe hi in interpretationem determinati alicujus loci dogmatici vel ad legem morum pertinentis definitâ sententiâ conspirant, quod mox ad regulam 2am. pluribus explicabitur.

347. Denique sensus iste cognosci sic potest 3°. *ex universali fidei professione.* Non solum enim unanimis Patrum consensus, sed et universalis professio fidei sensum Ecclesiae dispersae per ordinarium ejusdem magisterium edocet. Universalem autem fidei professionem exhibent v. g. fidei symbola, catechismi ubique locorum recepti, preces liturgicae, et universalis usus liturgicus praecipue circa administrationem Sacramentorum. Quae autem hac ratione infallibiliter certa habemus ex Scripturis, aptius ad regulam 3am., sive, ad analogiam fidei referuntur, maxime quatenus haec regula *negativa* est, sive, quatenus „non licet contra sensum Ecclesiae Scripturam interpretari."

Repetitio regulae 1. dogmaticae.

348. *Praenot.* 1°. Criteria et regulas interpretandi ea intelligimus quae aperiunt sensum Scripturae, atque alia sunt *rationalia*, i. e., quae *in ipsa sana ratione fundantur, ab eaque suggeruntur*; alia *dogmatica*, i. e., quae *in dogmatibus revelatis fundantur, atque ex his profluunt.* Quatenus Scripturae humanâ linguâ et formâ scriptae sunt uti ceteri libri, utique ad ejus interpretationem opus sunt regulae communes, seu, rationales. Quatenus autem libri Scripturae sunt divinitus inspirati, atque ut tales Ecclesiae traditi, ad verum eorum sensum assequendum necessariae sunt regulae dogmaticae. Dogmata in quibus hae regulae fundantur, duo sunt, sc. inspiratio

Scripturarum, et divinitus Ecclesiae commissa custodia et magisterium integri verbi Dei, nominatim quatenus Scripturis continetur. Ex his dogmatibus sequuntur tria interpretationis biblicae criteria potissima. Ex Scripturae inspiratione sequitur ejusdem in omnibus veritas absoluta. Ex praedicto munere Ecclesiae sequitur ejusdem judicium de sensu et interpretatione Scripturarum authenticum esse et infallibile; quodque proin quaevis Scripturarum interpretatio vera necessario etiam cum verbo Dei tradito convenire debet, cum eo pugnare nequit. Tria igitur summa criteria sunto: a). Scripturae in omnibus veritas. b). Ecclesiae interpretatio authentica et infallibilis in rebus ad aedificationem doctrinae christianae quomodocumque pertinentibus. c). Analogia totius fidei catholicae. Hisce criteriis innituntur dogmaticae regulae plures, quae illorum usum docent.

Praenot. 2°. Protestantes infallibile Ecclesiae catholicae magisterium rejiciunt, et Rationalistae insuper cetera subsidia dogmatica. Necessario igitur eorum interpretatio manca, et inconstans est. Nec mirum illorum quam plures confixisse aut sequi systemata interpretandi falsa, puta Semler systema *accommodationis positivo dogmaticae*, Kant *interpretationis moralis*, Paulus *interpretationis psychologicae*, Strauss *interpretationis mythicae*, et Renan *legendariae*, quorum perversa principia, et placita jure proscripsit Ecclesia.

Praenot. 3°. Duplex species interpretationis: a). *doctrinalis* (scientifica, exegetica), quae *a quovis doctore privato instituitur secundum sanae hermeneuticae*, seu, *exegeticae regulas* ad certam quidem, plerumque vero *ad pleniorem textus intelligentiam.* — b). *Authentica* (auctoritativa, dogmatica), quae *nomine et auctoritate ipsius Dei, auctoris Scripturarum, fit ab Ecclesiâ, ex assistentiâ Spiritus Sancti, magistrâ infallibili in rebus fidei et morum*, quas pro *objecto* habet haec interpretationis species.

I. Suprema interpretationis dogmaticae regula a Tridentino Concilio traditur in „decreto de usu sacrorum librorum" ad-

versus petulantia ingenia. *Illud decretum recita* (n. 330.) Circa illud quatuor praestitit Concilium Vaticanum, nempe: a). testatur illud esse salubriter latum; sed b). a quibusdam hominibus prave exponi; atque ideo c). idem decretum renovat, et d). illius mentem authentice declarat.

II. Illius decreti Tridentini *occasio* fuit petulantia hominum imprimis haereticorum, sed et nonnullorum catholicorum, qui neglecto aut spreto sensu Ecclesiae et Patrum, Scripturam in rebus fidei et morum ad suos sensus torquere audebant. *Scopus*, coërcere sui, et cujusvis temporis subsecuturi ingenia istiusmodi petulantia.

III. Decreti *indoles* a paucis recentioribus in controversiam adducitur, contendentibus decretum esse *disciplinare*; nobis videtur esse *dogmaticum* ex ejusdem natura, *objecto*, et contextu.

IV. Certo illud prave exponunt, qui contendunt 1°. decretum esse legem *purè poenalem*. Refelluntur ex ipsis decreti verbis, et poenis a Jure statutis in contravenientes, quae poenae legem jam pridem constitutam supponunt.

2°. Qui voluerunt, sensum decreti esse *mere negativum*, ita ut unice prohibeat impingere *in analogiam fidei*. Refelluntur, et contra eos genuinum sensum decreti insuper affirmanti aequipollere evincitur 1°. ex regula hermeneutica veriori: quod *sensus litteralis determinati loci Scripturae de facto est tantum unus*. Ergo *juxta* sensum, quem in determinato loco Scripturae Ecclesia tenuit et tenet, aut etiam unanimis consensus Patrum, locum istum interpretari debes, secùs interpretaberis *contra*, nempe sin contradictorie aut contrarie, certe ita diverse, ut ille ab Ecclesia definitus sensus in hoc determinato loco contineri neges. 2°. Ex professione fidei Pii IV., qui authentice decretum forma *affirmante* interpretatus est, uti et solemniter Pius IX. sacro approbante Concilio Vaticano: „ut... *is pro vero sensu s. Scripturae habendus sit, quem* tenuit...; atque *ideo nemini licere contra hunc sensum*... interpretari." (n. 331.)

3°. Qui sensum, quem antecedentibus aetatibus Ecclesia in

determinato Scripturae loco *tenuit*, definivitque, non continere veritatem et veram Scripturae intelligentiam simpliciter, sed *relativam* dumtaxat pro ea aetate, secundum progressum scientiae philosophicae perficiendam.

4°. Qui tenendum sensum Ecclesiae et Patrum restringunt ad ea, quae *directe* ad aedificationem doctrinae christianae pertinent, negantque Ecclesiae esse de ceteris judicare, atque contendunt assertiones philosophicas, historicas etc. de rebus per accidens revelatis, etsi doctrinae fidei adversentur, tamquam veras retineri posse.

V. Regula prima et princeps interpretandi Scripturas, haec est: *In rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae directe vel indirecte pertinentium, is pro vero sensu Scripturae habendus est, quem in determinato loco tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, nec licet contra hunc sensum Scripturam interpretari.*

Dr. 1°. „ad aedificationem *doctrinae christianae* directe vel indirecte pertinentium." Itaque Patres Concilii decretum suum tantummodo extendunt ad ea loca quae *directe*, vel *indirecte* h. e., ad ea loca, quae ex Ecclesiae judicio necessaria sunt ad conservandum, tuendumque verum sensum *per* et *propter se* revelatorum, quae ipsa *directe* ad aedificationem doctrinae christianae pertinent.

Dr. 2°. „in *determinato* loco." *Practice* namque Scripturae sensus, quem tenuit et tenet s. Mater Ecclesia, *infallibiliter certo* dumtaxat cognoscitur ex definitione sive S. Pontificis ex cathedra, sive Concilii generalis solemniter *datâ operâ* interpretantium huic vel illi determinato loco hunc subesse sensum. *Exemplum saltem unum e multis* (n. 338. allatis) *profer.*

NB. dictum esse: 1°. *practice* ... *infallibiliter certo* ...; — nam, suppositis adhuc supponendis, ita etiam cognosci *potest* sensus, quem tenuit etc., ex *unanimi consensu Patrum*, et ex *universali fidei professione* — maxime quatenus haec regula *negativa* est.

2°. *Datâ operâ*; nam Scripturae locos, quos Pontifex in Bullis, aut Concilium generale in decretis dogmaticis praeter institutum praecipuum, de quo definiendo agebatur, adducunt, non habendi sunt *definiti* in eo quo laudantur sensu; certe tamen etiam hujusmodi eorum interpretationes gravem habent auctoritatem; atque temerarium foret iisdem adversari.

---

349. Regula secunda: *In rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae directe vel indirecte pertinentium, is pro sensu Scripturae habendus est, quem Patres Ecclesiae unanimi consensu definitâ aut certâ sententiâ tenuerunt, nec licet contra hunc sensum Scripturam interpretari.*

350. Ad rectam regulae intelligentiam nota speciali quidem de causa hìc dici 1°. „*In rebus fidei et morum . . . pertinentium.*" Eâ nempe de causâ quod res, quae citra fidei morumque ambitum versantur, non reperies a ss. Patribus requisito communi consensu, et rata certaque sententia expositas. Itaque vel ex *ipso eorum modo loquendi* optime dijudicabis utrum res, quas tractant, ad aedificationem doctrinae christianae pertineant, an ex sese mere naturales, seu, philosophicae sint, in quibus eorumdem auctoritas est *humana* dumtaxat, atque a rationibus pendet et ponderanda est, quibus eorum interpretatio nititur ac commendatur. Hinc — ut exemplo res declaretur — non teneris eam sequi sententiam, ambas genealogias in Evangeliis (nempe *Matth.* I. 1.-17., *Luc.* III. 23.-38.) descriptas ad s. Josephum pertinere. Hinc etiam, ut equidem opinor, votum Jephte (*Judic.* cap. XI.) tuto ita interpretari poteris, ut voti illius materia et *impletio* constiterint in perpetuâ ejus filiae consecratione in Dei servitium servatâ virginitate.

351. Dr. 2°. „quem *Patres Ecclesiae.*" Nomine autem *Patrum Ecclesiae* non designantur omnes promiscue antiqui scriptores qui in Ecclesia floruerunt, sed illi dumtaxat qui propter suam tum sanctitatem, tum antiquitatem hunc titulum expresso vel tacito Ecclesiae consensu receperunt.

352. *Scholion* 1um. Deficiente *sanctitate*, Patribus Ecclesiae accensendi non sunt Tatianus, Tertullianus, utpote qui vel a fide catholica defecerunt; sed nec Clemens Alexandrinus, Origenes, Arnobius, Lactantius, Eusebius Caesariensis, Rufinus, aliique. Scriptores hi simpliciter ecclesiastici profecto ut testes *historici*, quatenus cum Patribus proprie dictis consentiunt, multum valent, non autem ex sese ut testes fidei, sensûsve Ecclesiae jure sisti possunt.

353. *Scholion* 2um. Ratione *antiquitatis*, qui ex Ecclesiae Patribus Christo et Apostolis propinquiores fuerunt, vocari solent *Patres Apostolici*, utputa Clemens Romanus, Hermas, Ignatius Martyr, Papias, aliique usque ad s. Polycarpum, quocum horum series claudi solet, versus finem igitur saeculi II.; obiit namque an° 166. — Quod ad ceterorum aetatem et proinde seriem attinet, usu satis communi s. Bernardus († 1153.) postremus inter Patres Ecclesiae numerari consuevit. Inter *Patres* dico. Nam paulo alia est ratio *Doctoris Ecclesiae.* Namque praerogativa *Doctoris* Ecclesiae non includit *antiquitatem*, ut satis patet ex s. Francisco Salesio, et s. Alphonso de Liguorio, nostra aetate hoc titulo decoratis; sed supponit excellentiam et amplitudinem doctrinae, atque solemne Ecclesiae decretum, magis quam appellatio *Patris Ecclesiae.*

354. Dr. 3°. „*unanimi consensu.*" A consensu namque unanimi inter se et cum unitatis catholicae centro, Petri, inquam, successoribus, Patrum auctoritas in interpretandis Scripturis ita pendet, ut si *extra* consensum spectentur, doctores *privati* audiant; secus sint Testes *Traditionis* et doctores *authentici.* Ut autem hujusmodi sint, certo non requiritur unanimitas mathematica et absoluta, sive, consensus *complete* universalis; sed sufficit unanimitas *moralis*, consensus *moraliter* universalis, qualis *generatim* is haberi censetur, qui aptus est ad universalis Ecclesiæ fidem, aut sensa testanda. Itaque *generatim* statuere licet: Consensus Patrum *unanimis habendus est*, *si tot et tantae*

auctoritatis Patres ita consentiant, ut eorum testimonia fidem, aut sensa totius Ecclesiae repraesentare merito dici possint.

355. *Speciatim* igitur consensus ille unanimis adesse dicendus est: a). si Patres plerique omnes, b). major eorum pars locum determinatum Scripturae uno eodemque modo interpretentur tamquam exprimentem fidem, aut sensa Ecclesiae. c). Persaepe pauci Patres insigniores requisitam moralem unanimitatem *praesumptive*, et, ut ita dicam, *virtualiter* efficiunt; sc. quando de Patribus agitur, qui in controversia aliqua adversus haereticos pro tuendo sensu, quem tenuit et tenet Ecclesia, circa determinatum Scripturae locum veluti duces, inspectante universa Ecclesia, decertabant ita, ut ceteri, qui cum illis, aut post illos floruerunt, nihil adversus eorum interpretationem reclamarint. Tunc enim illi Patres, tametsi pauci numero, jure praesumendi sunt ceterorum quoque Patrum aequalium, et subsequentium temporum, proindeque ipsius Ecclesiae sensum fideliter exhibuisse et repraesentasse, ceterique cum illis consensisse, quamvis opportunitatem non habuerint id expresse affirmandi. Tales Patres e. g. sunt Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Hilarius, Augustinus in tuendo genuino sensu textuum sacrae Scripturae qui agunt de mysterio ss. Trinitatis contra Arianos et Semiarianos; Cyrillus Alexandrinus, Leo M., Agatho, Sophronius pro mysterio Verbi incarnati contra Nestorianos et Eutychianos, horumque surculos; Augustinus, Fulgentius contra Pelagianos, horumque reliquias de gratiae divinae necessitate et gratuitate in epistolis b. Pauli assertis, etc.; horum, inquam, Patrum expositio locorum Scripturae quatenus ad rem ipsam attinet, quam contra haereticos nomine totius Ecclesiae defendebant, procul dubio est expressio communis fidei ac professionis totius Ecclesiae, atque adeo sensûs, quem Spiritus Sanctus illis locis expressum voluit. Imo d). vel unus Pater ceteros omnes exhibuerit, si ipsa Ecclesia illius doctrinam in determinata materia expresse approbarit.

356. *Scholion.* Dr. „*quatenus ad rem ipsam attinet, quam*" etc. Non enim idem dici potest de omnibus conclusionibus, quas Patres occasione defensionis fidei communis ex sua privata sententia, sive, ut doctores *privati* forte ex quodam Scripturae textu elicuerunt. De his valet illud Caelestini Pontificis: „Profundiores, difficilioresque partes incurrentium quaestionum, quas latius pertractarunt qui haereticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere." Namque in Patrum quoque scriptis distingui oportet *objectum* fidei, quod ut *testes Traditionis* attestantur, atque ut *doctores authentici* communi consensu explicant, declarant, ac propugnant, a *motivo* et a modo, quo illud adstruunt; hac enim ratione ut doctores *privati* extra consensum interdum explicationes minus certas, probationesque debiliores adducunt, quibus tamen infirmari nequit veritas ipsius *objecti.*

357. Dr. 4°. „*definitâ aut certâ sententiâ.*" Utrum enim Patres in consensu vel extra consensum, aliis verbis, ut testes Traditionis et doctores Ecclesiae, an tamquam doctores privati determinatum Scripturae locum exponant, *generatim* imprimis dignosces ex modo docendi et loquendi (cfr. n. 344.); utrum nempe definitâ, aut saltem certâ ratâque sententiâ locum exponant tamquam exprimentem communem Ecclesiae doctrinam, aut sensa; an vero opinando, conjecturando, moraliter exhortando, *allegorizando* locum edisserant. Si primum obtinet, indicium est eos in consensu; si alterum extra consensum loqui. *Speciatim* ut testes Traditionis et doctores Ecclesiae loqui habendi sunt a). si expresse affirment, uti saepe faciunt, se referre et docere sensum ab universa Ecclesia receptum, a Patribus antiquioribus traditum. b). Si id non expressis quidem verbis, sed clare tamen toto tractandi modo prodant. c). Si vix nova exorta sententia, statim in illam insurgant tamquam in errorem aut haeresim, recepto in Ecclesia sensui adversantem. d). Si illius auctorem veluti novatorem aut haereticum exagitent.

358. Itaque ad quaestionem: *An et quale Patrum auctoritas praebet argumentum pro interpretandis Scripturis*, respondendum: *Distinguo.* 1°. Si aliquem Scripturae locum Patres

ut testes Traditionis atque doctores Ecclesiae consensu moraliter unanimi definitâ sententiâ exponunt, eorum auctoritas irrefragabilis est, praebetque argumentum *infallibiliter* certum ita, ut sensus a Patribus praedicto modo traditus et explicatus pro vero sensu Scripturae sit habendus, et per se haereticum sit contra hunc sensum Scripturam interpretari. *Ratio* manifesta est. Quamvis enim Patres *singuli* non sint infallibiles, adeoque etiam ubi adest eorum consensus, non *singulorum* [1]), seu, *distributiva* eorum auctoritas infallibiliter probet rem de qua agitur; in ipso tamen Patrum consensu inter se et cum unitatis catholicae centro, ratio et probatio continetur Traditionis divinae tam historica, et philosophica quam proprie theologica. Etenim admissâ indubitanter admittendâ Ecclesiae indefectibilitate, necessario sequitur Ecclesiam in aliquam falsam Scripturae in rebus fidei et morum interpretationem numquam convenire posse. Atqui hoc tamen omnino fieret, si interpretatio a Patribus unanimi ac definitâ sententiâ exhibita falsa esset, aut revera esse posset. Impossibile enim est sejungere sensum Patrum unanimem definitumque ab ipsius Ecclesiae sensu; quandoquidem tota Ecclesia Patres dicto modo Scripturam exponentes uti testes Traditionis et doctores authenticos semper sequuta est ac sequitur. Quare si isti unanimi consensu in falsum sensum convenissent, imo vel conspirare potuissent, procul dubio universam Ecclesiam secum in errorem pertrahere potuissent, atque revera pertraxissent. Sed hoc ex ipso agnito principio argumentationis, ex indefectibilitate, inquam, Ecclesiae impossibile, absurdum et per se haereticum. Ergo et agnoscendum, quod Patres spectati in consensu inter se et cum unitatis catholicae centro, ex Spiritus Sancti assistentia et directione, quae Ecclesiae di-

[1]) Hâc notâ, uti jam ab initio et in decursu tractatus saepius animadversum fuit, Patres *essentialiter* distinguuntur a scriptoribus *inspiratis*; horum quippe etiam singulorum auctoritas vi ipsius inspirationis sola sufficit, ut fide divinâ certi simus nulla prorsus in re qualicumque quam scripto mandarunt, eos nedum lapsos esse, sed nec labi actu potuisse.

vinitus promissa et jugiter praesto est, ubi hac ratione Scripturae locum aliquem explicant, vere sunt infallibiles, argumentum praebent infallibiliter certum. Quapropter nervose juxta ac egregie recentissimus Ecclesiae Doctor, s. Franciscus Salesius quaerit: „*Quid aliud est doctrina ss. Patrum, quam Evangelium explicatum, quam Scripturae sanctae elucidatae?* ... vel iis ideo utendum est, *quod organa quaedam fuêre, per quae Deus verbi sui sensum nobis communicatum voluit.*"

359. R. 2°. Si Patres consensione moraliter quidem unanimi, certâque sententiâ aliquem Scripturae locum interpretantur, quin tamen satis appareat, utrum illius sensum proponant tamquam doctrinam fidei, eorumdem auctoritas argumentum *theologice* certum afferre censetur. Enimvero ex hujusmodi eorum interpretatione saltem sensa Ecclesiae patescunt, quibus contraire temerarium, et erroris loco habendum est. Hoc modo constat v. g. narrationem Mosaicam de creatione Adam et Evae (*Gen.* I. II.); de esu fructus vetiti (*ibid.* cap. III.) in sensu obvio esse intelligendam; atque primam tuto non posse ut mythum vel allegoriam traduci, neque alteram cum quibusdam exponi de commercio carnali.

360. R. 3°. Si autem Patres de sensu alicujus loci Scripturae ne inter se quidem consentiant, adeoque si *extra consensum* spectati ut doctores *privati*, etiam plures, *a fortiori*, si aliquot, vel unus alterve dumtaxat hoc, illove sensu locum aliquem ita, alii aliter interpretentur, eorum auctoritas profecto non praebet argumentum *certum circa sensum loci de quo agitur*; idque iterum *a fortiori* statuendum est, etiam si plures vel satis communiter locum aliquem in sensu accommodato (cfr. n. 316.) pertractant adhortando aut *allegorizando* magis, quam exponendo sensum litteralem vel spiritualem; atque omnino aperte si opinando et conjecturando potius quam affirmando locum edisserunt. In his et similibus casibus, qui quidem in scriptis Patrum frequentissimi sunt, privata eorumdem sententia non est majoris auctoritatis, quam est vel auctoritas privata sin-

gulorum Patrum, vel sunt argumenta quibus probatur. Poterit ergo esse sententia vera, poterit esse plus minusve probabilis; poterit interdum etiam esse nullius ponderis, imo falsa et erronea, uti revera fuit opinio de regno millenario, sive, chiliasmo, cui post s. Papiam, adeoque a medio vel exeunte saeculo II. nonnulli Patres atque scriptores ecclesiastici, innixi quibusdam non rite intellectis Scripturae locis, praesertim ex cap. XX. *Apocalypsis*, usque ad initium saeculi IV. adhaeserunt; sed quam alii, nominatimque subsequentes Patres communiter reprobarunt et rejecerunt.

361. Pro recto regulae statim explicatae *usu*, auctore expertissimo cl. Fr. X. Patritio, imprimis „cavendum est, ne sinamus nos in syrtes urgeri a quibusdam enarratoribus Scripturarum quum Patrum auctoritates allegant. Reperiri enim inter illos est, qui id, quod aliquis e Patrum numero rem conjectando opinabatur, tamquam Traditionis documentum, imo tamquam verum dogma nobis obtrudant, quod jam olim Bossuetus questus est. Alii aliquos Patres tamquam ipsorum sententiae adstipulantes nominatim citant, quorum non paucos, imo etiam plures in sententia plane contraria fuisse videas..... Sed tunc potissimum est diffidendum, quum aiunt, aliquam opinionem Patribus communem esse, quod idem fere sonat, ac si diceretur Patrum consensus huic opinioni suffragari; accidere quippe solet, ut iste consensus nullus sit, nec opinio illa Patribus communis. *Ita* Tirinus pronuntiat Patres communiter sentire verba Isaiae: *Generationem ejus quis enarrabit?* dicta esse de utraque Verbi divini generatione." Atque haec Patritius. Porro rite cl. Kilber monet, a). „discerne inter libros vere aut falso Patribus adscriptos; item inter certo genuinos et dubios aut incertos." Proin „opera genuina Patrum disce vel ex judicio criticorum catholicorum et sobriorum, vel ex editionibus recentioribus et probatis." Quam saepe enim interpretes laudant v. g. verba Ambrosii, quae sunt Am-

brosiastri; Anselmi, quae sunt Hervaei; Thomae Aquinatis, quae sunt Thomae Anglici etc. b). „Disquire de textu laudato, integerne sit, an corruptus, mutilus vel a contextu divulsus." Quare, quum de veritate aliqua probanda agitur „textum laudatum confer cum libro: nisi laudatoris fides sit probata." c). Demum, „nota an Pater loquatur in persona propria vel aliena" [quod monitum in legendis commentariis s. Hieronymi praecipue usuvenit [1])]; „an solum disputando et velut dubitanter inquirendo procedat, vel asserendo." Quoties enim interpretes unam e pluribus v. g. s. Thomae sententiis velut certam proferunt, quum ipse prudens varias profert, imo haud raro eam sic ponunt quam ipse minus probat, silentio praetermissa ea quam ipse doctor Angelicus sibi magis probari profitetur. Denique d). „an oratorie et rem forsan exaggerando, aut dogmatice et rigoroso sermone eloquatur; an obiter et velut aliud agendo, aut principaliter et ex proposito rem tractet." *Ratio* horum omnium manifesta. Enimvero „Patrum scripta non praebent argumentum (certum), nisi genuina et certa, atque ex originario textu vel probata versione desumpta", allatusque „textus integer, clarus, cum mente auctoris congruens sit.

Repetitio regulae 2ae,
depromptae ex unanimi consensu Patrum.

362. I. Ea sonat: *In rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae directe vel indirecte pertinentium, is pro sensu Scripturae habendus est, quem Patres Ecclesiae unanimi consensu definitâ aut certâ sententiâ tenuerunt, nec licet contra hunc sensum Scripturam interpetari.*

Ea de causa hic dr. 1°. „*In rebus . . . pertinentium*", quod res *mere* naturales non reperies a ss. Patribus communi consensu ratâ certâque sententiâ tractatas. Itaque plerumque ex

[1]) Cfr. ad Bonfrerii Praeloquia, *Appendix* IV. T. I. p. 500.

ipso eorum modo loquendi optime dijudicabis, utrum res ad aedificationem doctrinae christianae pertineant, an mere philosophicae sint, in quibus eorum auctoritas dumtaxat *humana* est, et a rationibus pendet et ponderanda est, quibus eorum interpretatio nititur; quae si minus solidae appareant, tuto, semper tamen debita cum reverentia, ab eorum interpretatione recedes, uti plerique recentiores faciunt v. g. in genealogia Joseph, in voto Jephte etc.

Dr. 2°. „*Patres* Ecclesiae" sc. proprie dicti, adeoque praediti a). doctrinâ, b). sanctitate (proin non tales sunt Tatianus, Tertullianus, Clemens Alex., Origines, aliique scriptores *ecclesiastici*, testes *historici*), c). antiquitate. Ex hoc capite Apostolis propinquiores, puta s. Clemens Rom., usque ad s. Polycarpum, versus finem saeculi II. vocantur *Patres Apostolici*; inter ceteros postremus haberi solet s. Bernardus † 1153. Haec nota non requiritur ut quis sit *Doctor Ecclesiae*, sed ad hoc amplior doctrina et expressum Ecclesiae decretum requiruntur.

Dr. 3°. „*Unanimi consensu.*" Intelligitur consensus moraliter universalis, qualis *generatim* habetur, *si tot et tantae auctoritatis Patres ita in accipiendo aliquo loco consentiant, ut eorum testimonia fidem, aut sensa totius Ecclesiae repraesentare merito dici possint.* Quod *speciatim* obtinet, si a). plerique omnes, b). plures, c). aliquot, sed quibus ceteri saltem *virtualiter* assentiunt, verum Scripturae sensum contra haereticorum perversionem veluti duces tuentur, puta s. Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzen. etc. defendentes genuinum sensum locorum agentium de mysterio ss. Trinitatis adversus Arianos; — Augustinus et Fulgentius de gratia contra Pelagianos, etc. Imo d). vel unus Pater ceteros omnes exhibuerit, si ipsa Ecclesia illius doctrinam in materia particulari expresse approbaverit. His in casibus de vero textuum sensu constat saltem quod ad veritatem ipsam attinet, quam sic contra haereticos propugnabant, non semper quoad „profundiores, difficiliores-que partes incurrentium quaestionum."

Dr. 4°. „*Definitâ, aut certâ sententiâ.*" Utrum enim Patres ut testes Traditionis, sive, ut *doctores Ecclesiae*, an vero ut *doctores privati* Scripturam exponant, *generatim* dignosces ex eorum modo loquendi. *Speciatim* ut doctores Ecclesiae locuti habentur si a). id expresse affirment; b). clare modo tractandi prodant; c). in sententiam quamdam ut erroneam vel haereticam, aut d). in ejusdem auctorem tamquam novatorem vel haereticum invehant.

II. Itaque *Patrum auctoritas* in interpretandis Scripturis praebet a). argumentum *infallibiliter certum*, si ut testes Traditionis, ut doctores Ecclesiae in exponendo aliquo loco definitâ sententiâ moraliter omnes consentiant. *Ratio* est, quod in illo consensu continetur theologica probatio divinae Traditionis; nam indefectibilis et infallibilis Ecclesia eorum consensum sequitur; rectius dico, ipse eorum consensus manifestat sensum quem tenuit et tenet Ecclesia.

b). Argumentum *theologice certum*, si consensu moraliter quidem universali, certâque sententiâ aliquem locum exponant, quin tamen satis appareat, utrum illius sensum tamquam *doctrinam fidei* proponant.

c). Saltem non certum argumentum praebet si in exponendo aliquo loco inter se dissentiant, vel solum opinando, adhortando, allegorizando etc. loquantur.

III. Pro regulae expositae usu cave, ne nimium facile credas consensum unanimem Patrum adesse, et vide, utrum testimonia eorum genuina sint, fidelia, et sin dogmaticâ, saltem certâ sententiâ ab iis prolata sint ad rem, de qua agitur, probandam.

---

363. Regula tertia: *Analogia fidei catholicae agnoscenda est ut norma interpretandi Scripturas imprimis quidem* NEGATIVA,

sed et aliqua POSITIVA.

364. Ad rectam regulae intelligentiam nota 1°. vim dictionis „ analogia fidei catholicae." Vox ipsa *analogia fidei* desumpta est ex b. Pauli epist. ad *Rom.* XII. 6. ubi laudat „ prophetiam secundum rationem fidei", graece προφητείαν κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως. Analogia autem fidei etymologice et grammatice denotat „ harmoniam inter res fidei." Demum adjectâ voce „ *catholicae*" manifesto denotatur „ harmonia inter *omnes* res ad fidem et mores pertinentes, sive eae Scripturâ, sive Traditione divinâ contineantur." Utrumque enim fontem revelationis Ecclesia catholica pari pietatis affectu ac reverentia suscipit, et veneratur. Additamentum igitur illud impetit orthodoxos Protestantes, qui, quia solam Scripturam agnoscunt ut revelationis fontem et fidei regulam, etiam solam admittunt analogiam fidei *biblicae*, quae tamen re ipsâ apud eos vix aliud est quam parallelismus biblicus *doctrinalis*.

365. Dr. 2°. *Analogia .. est norma interpretandi imprimis quidem negativa.* Quandoquidem in iis etiam locis, quorum sensus ab Ecclesia et ss. Patribus explicite non est determinatus, est regula interpretationis imprimis *sensu negante* ita, ut *nulla interpretatio possit esse vera, quae cuicumque Scripturarum textui sensum tribuat alicui doctrinae Ecclesiae catholicae quomodocumque repugnantem.* Id ipsum definierunt Leo X. in Conc. Lat. V. et Pius IX. in Conc. Vatic. dicentes: „ *Cum verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatae fidei contrariam, omnino falsam esse definimus.*" Sic v. g. ex eo quod Ecclesia catholica dogmatice profitetur Beatam Mariam Deiparam *perpetuo virginem* mansisse, certo novimus, eos, qui a Judaeis [1]) vocabantur Jesu *fratres*, Jacobus nempe, et Joseph, et Simon, et Judas, et *sorores* ejus, non esse Ejus fratres et sorores proprie dictos, uterinos, sed cognatos dumtaxat; item particulam *donec*, et vocem *primogenitum*, apud *s. Matthaeum* [2]), non posse cum Hel-

[1]) *Matth.* XII. 46. 47.; XIII. 54.-56.; *Marc.* VI. 1.-3.
[2]) cap. I. 24. 25.

vidio ita accipi, ut b. Joseph, *post* partum Jesu, conjugem suam carnaliter cognoverit; neque ut plures filii B. V. Mariae inferantur. Simili modo verba Christi: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Et: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* ita explicanda sunt, ut Baptismus parvulis non denegetur; Eucharistiae vero sumptio non statuatur iis necessaria, quia universalis Ecclesiae usus, Apostolorum institutioni superstructus, docet, Baptismum non ad adultos restringendum esse; contra parvulos, usu rationis carentes, nulla obligari necessitate salutis ad sacramentalem Eucharistiae communionem. Similiter ex eo quod usum juramenti, quod comitibus suis stipatum est, Ecclesia universa licitum habet, imo certis in adjunctis praescribit, verba Christi: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino,* et s. Jacobi: *Ante omnia autem fratres mei nolite jurare, neque per coelum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum* exponenda sunt ita, ut iis non omnis juramenti usus, sed solum abusus prohibeatur. — Sic pariter verba Pauli: *adimpleo ea, quae desunt passionum Christi in carne mea* etc. nequaquam ita accipere licet ac si passiones Christi insufficientes fuerint ad redemptionem generis humani, cum hoc manifeste repugnet analogiae fidei, quae docet, satisfactionem Christi nedum sufficientem fuisse, sed et superabundantem. Ergo interpretatione, quae analogiae fidei respondeat, verba Apostoli sunt exponenda, puta: adimpleo ea, quae desunt passionum Christi *quoad applicationem,* etc. etc.

366. *Scholion.* Pars regulae hactenus illustratae, *negativa*, non est nisi consectarium duarum legum praecedentium, quatenus hae sonant: „nemini licere *contra* sensum Ecclesiae, aut etiam *contra* unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari."

367. Dr. 3°. „*Sed et aliqua positiva*" sc. a). quatenus juvat

ad sensum difficilium locorum tutius et plenius intelligendum; b). non autem quatenus omnis sensus analogiae fidei congruens eo ipso verus esset, aut c). tali, de quo agitur, loco re ipsa vel plene expressus.

368. Ad a). Profecto de aliquo fidei capite sana cognitio doctrinae Ecclesiae plurimum juvat interpretationem tum universim in omnibus locis ad illud fidei caput pertinentibus, tum maxime in iis textibus, qui facile quidem intelliguntur ad illud caput doctrinae posse referri, haud tamen ita sunt expliciti, ut sensus sine ulla ambiguitate ex iis solis per se spectatis determinari queat. In hujusmodi quippe locis sacri scriptores, nominatimque Apostoli in suis lectoribus pleniorem doctrinae cognitionem, praedicatione et magisterio vivo jam pridem acquisitam, ad verum eorumdem sensum assequendum praesupponunt, quare haud raro fideles diserte ad praedicationem jam perceptam et susceptam relegant [1]). Conferatur e. g. intellectus catholicus de sacramento Matrimonii cum hoc Apostoli Pauli in contextu totius loci effato: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia*; — de charactere sacramentali cum hisce ejusdem Apostoli verbis: *Qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Et: *In quo et vos, cum audissetis verbum veritatis, (Evangelium salutis vestrae) in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae*; — de potestate relicta Ecclesiae concedendi indulgentias cum hisce Christi ad Petrum verbis: *Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram* etc.; — de Filio Dei genito a Patre, et subsistente in duabus naturis cum his Christi Domini de se testimoniis: *Ego et Pater unum sumus; Filius Dei sum; Pater major me est*; — de perfectione scientiae Christi cum his: *Et Jesus proficiebat sapientia* etc. Et: *De die autem illo, vel hora* (judicii) *nemo scit, neque angeli in coelo,* NEQUE FILIUS, *nisi Pater*; — de perfectione sanctitatis in immaculata Virgine Maria cum salutatione Angelica: *Ave, gratia plena*, — et certo tutius ac plenius memoratos locos intelligemus, imo facile concipiemus nominatim ultimum locum jure accipi posse de tali gratiae plenitudine, quae omnem peccati labem a B. Virgine inde a primo ejusdem conceptionis instanti removerit [2]).

[1]) Cfr. v. g. I. *ad Cor.* XI. 23. XV. 1.; *ad Gal.* I. 8. 11.; *ad Philipp.* IV. 9.; *ad Coloss.* II. 6. 7.; I. *ad Thess.* IV. 2.; II. *ad Thess.* II. 15.; II. *ad Tim.* II. 2.; *ad Hebr.* II. 3. etc.

[2]) Cfr. Card. Franzelin, *l. c.*, Th. XVIII. n. III., et in *Breviario Rom.* die 7. infra Oct. Imm. Conc. B. M. V. *Homilia* s. Sophronii.

369. Ad b). Quamvis omnis sensus analogiae fidei repugnans certissime falsus sit; hinc tamen nemo existimet, sensum analogiae fidei congruentem, eo ipso esse verum sensum loci, qui actu exponendus est; etenim multum potest esse verum, et analogiae fidei convenire, quin tamen id Spiritus Sanctus eo loco, de quo agitur, certo, aut in recto expresserit; quapropter sensus analogiae congruens tunc tantum genuinus habendus est, si eidem reliqua legitimae interpretationis criteria non obstiterint. Ita, v. g., quid humani passus videtur eruditissimus Joannes Perrone S. J. ubi verba Apostoli: *Qui statuit in corde suo firmus*, NON HABENS NECESSITATEM, POTESTATEM AUTEM HABENS SUAE VOLUNTATIS, *et hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit*, exponit de libertate hominis a necessitate, *eaque* adducit in hujus veritatis argumentum. Tametsi enim istiusmodi verborum illorum interpretatio verissimam et catholicam daret sententiam, tamen hoc loco non magis traditur, quam ubicumque de aliquo praecepto vel consilio sermo est; nam ex toto contextu patet sensum Apostoli simpliciter esse, per se nullam divinam legem quemquam obligare ad filiam suam virginem servandam vel in matrimonium tradendam. Similes utique lapsus a Theologis et Interpretibus summa cura cavendi sunt, ne veritates catholicae tamquam imbecillioribus argumentis suffultae facile spernantur.

370. Ad c). Insuper cavendum est, ne locum aliquem, qui solum de parte alicujus doctrinae catholicae agit, sic interpretemur quasi sanctus auctor ibi quoque totam doctrinam sistere voluerit. Id enim esset sensum *inferre* in sacrum textum, non interpretari. E. g. verba s. Pauli *ad Ephes.* II. 8. 9.: *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est, Non ex operibus, ut ne quis glorietur*, primo obtutu videri possunt justificationem ita fidei adscribere, ut cetera opera fidei excludant. Doctrina autem Ecclesiae in adultis ad justificationem consequendam aliquas praeter fidem dispositiones requirit, tenetque cum s. Jacobo (II. 24.) *quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum*, sicque plenum illius doctrinae conceptum indigitat. Quid ergo? Num sic haec doctrina ad textum laudatum Pauli applicanda erit, ut in illis Apostoli verbis suppleantur et opera, ac dicatur, Apostolum propter analogiam doctrinae *hoc loco* docuisse, etiam opera esse necessaria ad justificationem? Procul absit. Dicendum potius: in hoc loco non esse subsistendum, si *plenum* judicium ferendum sit de doctrina huc spectante. Insuper causa cur b. Paulus *l. c.* opera videatur excludere, in circumstantiis quaerenda est, quas occasio scribendi, scopus, aliaque adjuncta suppeditant.

Repetitio regulae 3ae,
depromptae ab analogia fidei catholicae.

371. I. Regula haec sonat: *Analogia fidei catholicae agnoscenda est ut regula interpretandi Scripturas imprimis quidem* NEGATIVA, *sed et aliqua* POSITIVA.

II. Vox „analogia fidei" ab Apostolo mutuata, cum additamento „fidei *catholicae*" denotat „harmoniam inter omnes res fidei, sive ea Scripturâ, sive Traditione contineantur."

III. Est regula interpretandi Scripturas imprimis *negativa*, i. e., nulla interpretatio potest esse vera, quae cuicumque loco Scripturae tribuit sensum doctrinae catholicae quomodocumque repugnantem (v. g. quae *fratres* Christi accipit sensu obvio etc.). — Eatenus regula haec simplex consectarium est duarum praecedentium, quae habent „nemini licere *contra* sensum Ecclesiae, aut unanimem consensum Patrum Scripturam interpretari.

IV. Analogia fidei catholicae est insuper aliqua regula interpretandi *positiva* sc. a). quatenus juvat ad sensum difficilium locorum tutius et plenius intelligendum. Saepe enim nominatim b. Paulus fideles provocat ad doctrinam jam ore perceptam, putà de Sacramento Matrimonii, de charactere sacramentali etc.

b). Non autem quatenus omnis sensus analogiae fidei congruens eo ipso verus esset, aut c). loco, de quo agitur, re ipsa vel plene expressus.

---

372. Ex altero criterio, nempe ex agnoscenda a quocumque divina Scripturarum inspiratione, atque adeo interna earum veritate absoluta, et auctoritate in se et *quoad nos*, sponte sua profluunt regulae dogmaticae duae quidem generales, et aliae duae speciales.

373. *Generales:* I^a. *Scripturae interpretatio semper sancte tractanda et moderanda est ita, ut respondeat praerogativis divinae inspirationis et auctoritatis, quibus Scriptura gaudet.* Hinc

II^a. *Sententiae, quas sacri scriptores ut suas* [1]) *enunciant, ita interpretandae sunt, ut earum veritas in tuto sit.* Adeoque ita, ut in ipsorum effatis nulla quovis pacto admittatur falsitas, aut ulla vera contradictio neque secum ipsis, neque inter se, neque cum veritatibus naturali ratione certe cognitis.

374. *Ratio* harum legum perspicua est. Inspiratio enim imprimis ratio *formalis* est, ob et per quam Scripturae sunt sacrae, ipsumque Deum habent auctorem principem; quapropter ut summe sanctae etiam sancte tractandae, et omnia in iis contenta ut divinae auctoritatis, fide, non solum historica, sed et divina credenda sunt. Inspiratio enim sacros scriptores omnis erroris, undecumque provenire possit, expertes reddit haud secus in ipsa scriptione, ac in re, quamcumque ab iis Deus scribi voluit. Proin nulla umquam secumipso, vel cum alio scriptore sacro, aut inter ipsam revelationem et rationem vera dissensio esse potest. Deus enim negare seipsum non potest, nec verum vero umquam contradicere.

375. Ex dictis duae regulae *speciales* derivantur, imo iterum sua sponte ut totidem consectaria prodeunt.

I^a. *Scripturarum narrationes ita sunt interpretandae, ut earumdem veritas historica servetur, nec eas propterea quod complectuntur mysteria, prophetias aut miracula eventusve mirabiles,* quae sunt *supra* aut *praeter,* numquam *contra* rationem, *ad meram allegoriam, accommodationem dogmaticam, mythum, legendamve contorquere licet.*

II^a. *Ubi historia sacra certo genuina et rite exposita cum historiae profanae vel alterius cujusvis humanae disciplinae placitis conciliari nullo modo potest, auctoritas Scripturae omnibus humanae eruditionis conjecturis anteponenda est.* Quaecumque

[1]) Quae enim simpliciter referunt ut ab aliis hominibus dicta, *in se* falsa esse possunt, ut satis superque diximus n. 5. et a n. 262.

enim Spiritu Sancto inspirante narrantur, sive ad doctrinae et eventus substantiam, sive ad circumstantias temporis, loci, vel personarum etc. pertineant, certissima sunt et *divina* auctoritate stabilita; quare omni posthabito dubio propter auctoritatem Dei revelantis accipienda sunt ut *objective* sonant, propria, proprie, figurata, improprie; nec proin ob mysteria, miracula etc. inter fabulas vel mythos etc. ablegari ullo jure possunt. Porro in hypothesi firmiter tenendum, opinionum commenta pro rationis, seu, scientiae humanae effatis esse ventilata, aut certe scientiam humanam deficere.

376. *Scholion.* Quoniam praesertim in iis quae per se ad fidem et mores non pertinent, sive in textibus *per accidens* dogmaticis subesse potest variatio *accidentalis* textus primitivi; et quoniam insuper Scriptura secundario dumtaxat res naturales edocet; modeste et quasi timide procedere debent exegetae, nec facile damnare eruditionis profanae systemata, quamdiu doctrinae fidei, Constitutionibus et Decretis Sanctae Sedis, aut iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates, non aperte adversantur; sed prudenter expectare donec humanae investigationes ad conclusionem aliquam certam perveniant. Quae, si quidem certa fuerit, cum Scriptura recte intellecta et exposita numquam pugnabit, sed exegetam poterit juvare, ut sensum sacri textus melius assequatur. Lubet rem hanc gravissimam verbis s. Augustini perficere: „Didici, inquit, non haerere homini in respondendo secundum fidem, quod respondendum est hominibus qui calumniari libris nostrae salutis affectant: *ut quidquid ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris litteris non esse contrarium. Quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris litteris, id est, catholicae fidei contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum: atque ita teneamus mediatorem nostrum, in quo sunt omnes thesauri sapientiae atque scientiae absconditi, ut neque falsae philosophiae loquacitate seducamur, neque falsae religionis superstitione terreamur.*"

377. Calumniae, quas Protestantes, et hodiernae effrenae libertatis fautores Rationalistae ceterique Increduli adversus Catholicos et s. Matrem Ecclesiam iterare non desinunt, effutientes: regulis catholicis profluentibus ex authentico Ecclesiae magisterio, imo vel ipsis regulis ex inspiratione Scripturae de-

373. *Generales:* I^a. *Scripturae interpretatio semper sancte tractanda et moderanda est ita, ut respondeat praerogativis divinae inspirationis et auctoritatis, quibus Scriptura gaudet.* Hinc

II^a. *Sententiae, quas sacri scriptores ut suas* [1]) *enunciant, ita interpretandae sunt, ut earum veritas in tuto sit.* Adeoque ita, ut in ipsorum effatis nulla quovis pacto admittatur falsitas, aut ulla vera contradictio neque secum ipsis, neque inter se, neque cum veritatibus naturali ratione certe cognitis.

374. *Ratio* harum legum perspicua est. Inspiratio enim imprimis ratio *formalis* est, ob et per quam Scripturae sunt sacrae, ipsumque Deum habent auctorem principem; quapropter ut summe sanctae etiam sancte tractandae, et omnia in iis contenta ut divinae auctoritatis, fide, non solum historica, sed et divina credenda sunt. Inspiratio enim sacros scriptores omnis erroris, undecumque provenire possit, expertes reddit haud secus in ipsa scriptione, ac in re, quamcumque ab iis Deus scribi voluit. Proin nulla umquam secumipso, vel cum alio scriptore sacro, aut inter ipsam revelationem et rationem vera dissensio esse potest. Deus enim negare seipsum non potest, nec verum vero umquam contradicere.

375. Ex dictis duae regulae *speciales* derivantur, imo iterum sua sponte ut totidem consectaria prodeunt.

I^a. *Scripturarum narrationes ita sunt interpretandae, ut earumdem veritas historica servetur, nec eas propterea quod complectuntur mysteria, prophetias aut miracula eventusve mirabiles,* quae sunt *supra* aut *praeter,* numquam *contra* rationem, *ad meram allegoriam, accommodationem dogmaticam, mythum, legendamve contorquere licet.*

II^a. *Ubi historia sacra certo genuina et rite exposita cum historiae profanae vel alterius cujusvis humanae disciplinae placitis conciliari nullo modo potest, auctoritas Scripturae omnibus humanae eruditionis conjecturis anteponenda est.* Quaecumque

[1]) Quae enim simpliciter referunt ut ab aliis hominibus dicta, *in se* falsa esse possunt, ut satis superque diximus n. 5. et a n. 262.

enim Spiritu Sancto inspirante narrantur, sive ad doctrinae et eventus substantiam, sive ad circumstantias temporis, loci, vel personarum etc. pertineant, certissima sunt et *divina* auctoritate stabilita; quare omni posthabito dubio propter auctoritatem Dei revelantis accipienda sunt ut *objective* sonant, propria, proprie, figurata, improprie; nec proin ob mysteria, miracula etc. inter fabulas vel mythos etc. ablegari ullo jure possunt. Porro in hypothesi firmiter tenendum, opinionum commenta pro rationis, seu, scientiae humanae effatis esse ventilata, aut certe scientiam humanam deficere.

376. *Scholion.* Quoniam praesertim in iis quae per se ad fidem et mores non pertinent, sive in textibus *per accidens* dogmaticis subesse potest variatio *accidentalis* textus primitivi; et quoniam insuper Scriptura secundario dumtaxat res naturales edocet; modeste et quasi timide procedere debent exegetae, nec facile damnare eruditionis profanae systemata, quamdiu doctrinae fidei, Constitutionibus et Decretis Sanctae Sedis, aut iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates, non aperte adversantur; sed prudenter expectare donec humanae investigationes ad conclusionem aliquam certam perveniant. Quae, si quidem certa fuerit, cum Scriptura recte intellecta et exposita numquam pugnabit, sed exegetam poterit juvare, ut sensum sacri textus melius assequatur. Lubet rem hanc gravissimam verbis s. Augustini perficere: „Didici, inquit, non haerere homini in respondendo secundum fidem, quod respondendum est hominibus qui calumniari libris nostrae salutis affectant: *ut quidquid ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris litteris non esse contrarium. Quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris litteris, id est, catholicae fidei contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum: atque ita teneamus mediatorem nostrum, in quo sunt omnes thesauri sapientiae atque scientiae abscon-diti, ut neque falsae philosophiae loquacitate seducamur, neque falsae religionis superstitione terreamur.*"

377. Calumniae, quas Protestantes, et hodiernae effrenae libertatis fautores Rationalistae ceterique Increduli adversus Catholicos et s. Matrem Ecclesiam iterare non desinunt, effutientes: regulis catholicis profluentibus ex authentico Ecclesiae magisterio, imo vel ipsis regulis ex inspiratione Scripturae de-

promptis impediri 1°. interpretum libertatem, tyrannidemque imponi doctorum mentibus; vel saltem impediri 2°. studium ipsius sacrae Scripturae; vel certe 3°. vere scientificam illius investigationem, progressumque hermeneutices et exegeseos biblicae, haud gravate refutantur.

378. Ad 1um. enim respondetur: Libertas intellectus non in eo consistit ut unicuique liceat cogitare ac loqui quodcumque libeat sive verum sit, sive falsum, quemadmodum moralis libertas non ea est, quâ facultas conceditur quidlibet audendi sive bonum sive malum; haec enim non libertas sed effrenata *licentia* vocanda foret. Cum igitur rigorosâ demonstratione constet authenticas Ecclesiae interpretationes ipsasque Scripturas integras, vi assistentiae, et inspirationis Spiritus Sancti infallibiliter veras esse, nullum jus alicui esse potest illis contradicendi, et officium cuilibet impositum illas recipiendi non est laesio libertatis, aut jugum tyrannicum, sed obsequium veritati debitum [1]).

379. R. ad 2um. et 3um. Objecta ista absurda sunt ac ridicula prorsus. Ex eo enim quod per praedicationem ecclesiasticam et verbum Dei traditum cognitae sunt veritates, quibus repugnans sensus non potest esse verus, et proinde non potest subesse verbo Dei scripto; quod ergo constat de aliquo sensu, qui certo non est expressus in Scripturis; et quod praeterea per eamdem viam infallibiliter certo constat, quis sensus in nonnullis locis „ad aedificationem doctrinae christianae pertinentibus" sit expressus: ex hac, inquam, praesupposita certa cognitione ac fide *non solum non impeditur studium Scripturae, aut scientia et progressus sacrae interpretationis, sed ea vicissim maxime juvatur et promovetur.* Nihil enim cuicumque inquisitioni scientificae potest esse exoptatius, quam ut jam aliunde perspectum habeatur, quid verum non sit, adeoque qui errores vitandi et refellendi sint; vel etiam quid verum sit, et quo proinde inquisitiones dirigere oporteat, et quid sit argumentis demonstrandum ut verum. Atqui a). ex unanimi consensu Patrum et ex sensu, quem tenuit et tenet s. Mater Ecclesia, quam in rebus fidei et morum infallibilem logice demonstramus, ac ut talem fide indubitata veneramur, sensum Scripturae verum amplectendum, falsum respuendum *in quibusdam gravioris momenti locis* infallibiliter certo compertum habemus. Jam vero *vel in ipsis hisce locis* campus latissimus, et in dies singulos, excrescentibus erroribus, latior nobis relinquitur excolendae sacrae hermeneuticae et exegesis. Aliud enim est ex auctoritate infallibili certo novisse, quis sensus determinato Scripturae loco subsit, vel non subsit, et aliud ex

[1]) Ita fere cl. Ubaldus, *l. c.*, p. 271.

textu atque contextu aliisque subsidiis intelligere, aliisque declarare rationes et modum doctrinae Ecclesiae, sive, *cur* et *quomodo* talis sensus sit verus, vel falsus. Hoc alterum proprius est fructus interpretationis scientificae, atque adeo non minus in exegesi quam in universa theologia locum habet „fides quaerens intellectum" [1]). Atqui progressus, quem nedum respuit, sed admittit, imo promovet atque vehementer exoptat Ecclesia, vel maxime is est, ut in iis locis, quorum sensus ex praedictis regulis constat, non *nova*, sed *nove* dicamus; ut sensus, quem tenuit et tenet s. Mater Ecclesia, clarius semper atque clarius proponatur. „*Crescat igitur* — ita cum Vincentio Lirin. Sessionem tertiam terminant ipsi Concilii Vaticani Patres — *et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.*"

b). Porro longe plurima sunt Scripturae loca, neque ab Ecclesia neque a Patribus authentice exposita, de quorum sensu nullum authenticum judicium umquam prolatum est. In hisce igitur locis catholicus interpres secundum sanae hermeneutices regulas expendendis et illustrandis, dummodo ipsi semper ante oculos versetur analogia fidei catholicae, libere adlaborare, imo insudare poterit, idque eo faciet impensius vel ideo quod totus quantus convictus est Scripturam integram esse verbum Dei, falli et fallere nescium, propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripta est.

c). Veridica historia rem confirmat. Ea enim testis est, commentarios Protestantium ac Rationalistarum nedum cum elucubrationibus Patrum, sed nec cum commentariis recentiorum catholicorum comparari posse, si tamen, ut fas est, non tam numerum, quam solidam, eruditam et argumentis firmatam sensûs expositionem computes. Quod ad Patres attinet, idipsum candide fatetur ipse Protestans Joan. August. Ernesti: „Nec contemnendum est, inquit, totum illud, quod habet antiquitas, aut illi scriptores prae novitiis negligendi. Nam quod nostra aetas († 11. Sept. 1781.) proprii in eo genere boni habet, h. e., quod non ab antiquitate acceptum teneat, *id non sane nimis multum est, saepeque vidimus, pro novis haberi, quae essent antiqua*; deinde *multa, quae antiquitas recte capiebat, a recentioribus* (suae sectae interpretibus) *in alium sensum tracta sunt.*" Si quid nostra valet per viginti annos experientia, haud veremur et nos testari, quod saepe vidimus ab adversariis nostris pro novis tradi, quae sunt antiqua, eosque magnam partem

[1]) Cfr. Card. Franzelin, *l. c.*, et *Synodus Prov.* p. 26.

suorum commentariorum, quae recta sunt, e s. Hieronymo, aliisque Patribus, imo ex recentioribus nostris, utputa ex Fr. Toleto, Caspare Sanctio, G. Estio, J. Maldonato, C. a Lapide describere, quin hos auctores laudent, et saepe quae aliquatenus ambigua sunt ex Aug. Calmet eodem modo mutuari. Laudent quaeso e suis viros, qui aequari valeant nostratibus cl. Beelen, et Lipman, ut silentio praeteream tot alios omni ex parte egregios plane interpretes, utputa Fr. X. Patritium, Th. Jos. Lamy, etc. etc. qui inhaerentes quidem regulis dogmaticis supra memoratis genuinum Scripturae sensum nullius non scientiae ope quam plurimum illustrarunt, atque tuiti sunt adversus cavillationes et ineptias adversariorum, quorum commentarii ut plurimum non nisi accentus, syllabas, ac verba venantur, sed spiritum verae sapientiae, divinique amoris, quem sententiae Scripturarum spirant, plerique negligunt. Nec hoc mirum, quum Scripturarum inspirationem proprie dictam non amplius admittant, imo bene multi ne auctoritatem quidem historicam, neque ipsum D. N. J. C. ut verum Deum-hominem in Scripturis agnoscant. Quapropter facile concipies, quare eorumdem exegeses ut plurimum adeo aridae sint, ac fere ludricae, uti in ipsa schola eorum expertus testatur Dr. Konrad Martin, Ep^{cus} Paderbornens. et Fidei catholicae confessor egregius.

380. *Scholion.* In *Protestantes orthodoxos* pleno jure retorquetur quod objiciunt. Ipsi enim, quam nos demonstramus et religiose profitemur, Ecclesiae infallibilitatem rejiciunt, atque a quovis tandem traditum Scripturae sensum habent tamquam *opinionem*, quae ex ipsis Scripturis examinanda est a singulis et judicanda. Jam vero si, ut eorum habet principium fundamentale, humana tantum opinio producatur de sensu Scripturarum, eaque ex una parte dicatur ex ipsis Scripturis examinanda et judicanda, utrum vera sit; et ex altera parte proponatur ut norma, secundum quam unusquisque Scripturas interpretari jubeatur et jurejurando adstringatur: haec est absurda contradictio et intolerabilis tyrannis, quae solis Protestantibus per duo fere saecula placuit, et orthodoxis inter ipsos adhuc placet, dum in suos libros symbolicos jurant; ab Ecclesia autem catholica, verae libertatis vindice, explosa semper est et damnata. Non injuria igitur eis repones istud: *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.*

381. Contra *Rationalistas* demum et *Incredulos* optime res tota ad principia revocatur, quibus parendum. Atqui divina auctoritas Ecclesiae ac Bibliorum, horumque inspiratio non pia quaedam credulitas aut vulgaris est superstitio, sed veritas omnino de-

monstrata. Nihil igitur mirum si regulas ex veritate demonstrata logice deductas, ut veras et scientificas firmiter retineamus. Ipsorum autem cum Scripturis agendi modus, sicut et universim cum de Religione revelata sermo est, hoc tantum praejudicio nititur velut principio fundamentali: „quod nusquam admittenda sit Dei actio supernaturalis, nec supernaturalis vis influens (*influxus*) in res humanas." Atqui idipsum eorum principium prorsus falsum esse, et ab ipsa sana ratione alienum Philosophia demonstrat. Ergo corruente ipso fundamento, omnis eidem superstructa aedificatio corruat necesse est.

382. Paucis rem concludam. Regulae dogmaticae, in praecedentibus expositae, Scripturarum sensum in quibusdam gravioris momenti locis infallibiliter declarant; — in omnibus, quae ad salutarem fidei morumque doctrinam pertinent, errores antevertunt; — in plurimis, quod fieri potest, manuducunt ad verum sensum assequendum.

Itaque, quae sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coërcenda petulantia ingenia decrevit „salubriter decrevit."

Repetitio regularum
profluentium ex inspiratione Scripturae.

383. I. Ex inspiratione, atque adeo divina auctoritate Scripturae duae fluunt regulae generales, et speciales.

Generales: 1ª. *Scripturae interpretatio semper sancte tractanda et moderanda est ita, ut respondeat praerogativis divinae inspirationis et auctoritatis.* Est enim vere verbum Dei. Hinc

2ª. *Sententiae, quas sacri scriptores ut suas enunciant, ita interpretandae sunt, ut earum veritas in tuto sit.* Proin omnis vera antilogia in Scripturis *a priori* excluditur. Deus enim negare se ipsum non potest, nec verum vero umquam contradicere. Hinc

Speciales: 1ª. *Scripturarum narrationes ita sunt interpretandae, ut earumdem veritas historica servetur, nec eas propterea quod complectuntur mysteria, prophetias aut miracula eventusve mirabiles contorquere licet ad meram allegoriam, accommodationem dogmaticam, mythum, aut legendam.*

2ª. *Ubi historia sacra certo genuina et rite exposita cum*

historiae profanae vel alterius cujusvis humanae disciplinae placitis conciliari nullo modo potest, auctoritas Scripturae omnibus humanae eruditionis conjecturis anteponenda est. Etenim „*Testimonium Dei majus est.*"

Nota. Ne facile damnes scientifica placita, nisi certae veritati adversentur.

II. Per leges dogmaticas non impeditur interpretum libertas, nec studium ipsius Scripturae, nec scientifica illius investigatio, aut progressus hermeneutices. Id directe ostenditur ex eo quod nemini jus est contradicendi veritati, sed cuique huic parendum est. Atqui regulae istae *verae* demonstrantur. Ergo non laedunt veram intellectus libertatem, sed ipsum Scripturarum sanum intellectum juvant et promovent exhibendo locorum quorumdam ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium sensum verum amplectendum, falsum respuendum. Porro hoc ipso quod creditur verbum Dei falli aut fallere nescium esse, studium Scripturae promovetur ac stimulatur, ipsiusque scientiae sacrae progressui consulitur, quum regulae laudatae nihil prohibeant quominus sensus quem tenuit et tenet s. Mater Ecclesia nove et perpetuo clarius proponatur, atque adversus errores tueatur. Hermeneuticae namque remanet probare *cur* et *quomodo* talis sensus verus sit. In reliquis locis unùm constringimur *veritate* fidei et Scripturae, cui adversari *licentia* quidem, sed non vera libertas, falsi, sed non veri nominis scientia dicenda est. — Denique argumento *ad hominem* retunduntur adversarii nostri; nam Protestantes *orthodoxi* secundum placita sua ipsam intolerabilem imponunt tyrannidem quam nobis objiciunt; et *Rationalistarum* principium fundamentale falsum prorsus est; nihil mirum igitur quod et systemata interpretandi falsa eidem de suo superstruxerint, et interpretationes insipidas, aridas. Veridica historia assertum confirmat, nobisque palmam tribuit.

II.

De regulis interpretandi rationalibus.

384. Quae hujusmodi sunt regulae ex humanioribus litteris pleraeque apprime notae jure supponuntur, adeoque *h. l.* duae sequentes sufficiant.

I[a]. *Omnis locutio propria proprie, figurata figurate accipiatur.*

II[a]. *Vox omnis et locutio accipienda est proprie, nisi necessitas aliqua cogat eam improprie accipere.*

385. Pro regulae hujus *intelligentia* et recto *usu* notetur:

1°. Certo Scripturae sensum litteralem *proprium*, quod fieri potest, retinere et consectari debemus. Ipsa namque ratio universim dictat, verba cujuscumque scripti *per se* in proprio suo ac obvio sensu esse sumenda; nominatim porro sacrae Scripturae character imprimis dogmaticus et historicus evincit, non nisi cogente aliqua necessitate a sensu proprio verborum esse recedendum.

386. Notetur 2°. *Generatim* necessitas, eaque arcta quidem, Scripturae verba improprie accipiendi adest, si proprie sumpta sensum redderent *certo* falsum, repugnantem veritati, sive revelatione, sive naturali ratione *certo* cognitae. *Ratio* hujus partis evidens est, et notissima. Etenim — ut eam ipsis Concilii Vaticani verbis repetamus — „Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen umquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere."

Ex hisce simul patet, praedictam necessitatem minime ea de causa praetendi posse, quod verba proprie intellecta exhibeant divina mysteria, miracula aut prophetias. Sane mysteria „suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei

velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita *peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem.*" Pariter prophetiae et miracula sunt *supra* humanae rationis, et naturae vires. Verum mysteria, prophetiae et miracula nequaquam sunt *contra* rationem; imo ipsa sana ratio docet existere mysteria comparate ad intelligentiam hominis, demonstratque revelationis eorumdem possibilitatem, utilitatem, illique adhaerendi obligationem; factum revelationis certis argumentis probat etc. Similia docet de miraculis et prophetiis [1]). Ergo, ipsa ratione naturali magistra, hoc ex capite nulla datur necessitas recedendi a proprio sensu verborum Scripturae.

387. Notetur 3°. Magis *speciatim* necessitas est, eaque iterum arcta, improprie accipiendi vocem aut locutionem, si proprie accepta asserat aliquid aut fidei, aut Dei hominumve charitati, aut honestati morum repugnans. Sic ob repugnantiam cum *fide* improprie accipiendus est sermo, qui v. g. Deo tribuit humana sive membra, sive officia, sive affectiones; qui de Christo vel Ecclesia enunciat praedicata ex rebus inanimatis vel irrationabilibus desumpta etc. Ob repugnantiam cum *charitate*, aut *morum honestate* improprie accipiendus est sermo, qui v. g. saevum quid et asperum sive contra se, sive contra proximum jubere videtur; qui quid molle aut carnale praecipere aut commendare; vel alterutrum a viris sanctis factum laudare aut imitandum proponere videtur etc.

388. Notetur 4°. Ex ipsa posita regula insuper admittenda est necessitas *late* dicta improprie accipiendi verba Scripturae. Etenim exceptio, firmans regulam, sonat: „nisi necessitas *aliqua* cogat dictionem improprie accipere." Atqui aliqua, late dicta necessitas, praesertim in locis ad fidem et mores per se non pertinentibus, de quorum sensu aliunde non certo constat, saepe adest, et sufficit, ut interpretatio figurata saltem tolerari possit, imo quandoque praeferri sensui litterali

[1]) Cfr. *Logicae* pars I. cap. II. art. VII. et *Tract. de vera Rel.* a n. 35.

proprio, etiamsi hic nulli certo agnitae veritati repugnaret. Quod enim in hanc rem aliqui aiunt: *Omnem sacrae Scripturae propositionem accipiendam esse in sensu litterali* PROPRIO, QUOTIESCUMQUE *in tali sensu non est repugnantia cum aliis propositionibus ejusdem Scripturae aeque aut magis certis, aut cum definitione summi Pontificis, aut cum propositione naturali lumine certa et evidenti*; hoc, inquam, tam latum, ac generale axioma nescio quam opportune inculcetur. Certo — quod jam monitum fuit — quantum fieri potest, retinere et consectari debemus litteralem proprium Scripturae sensum. Verum ut praesertim ista, quae ad aedificationem doctrinae christianae per se non pertinent, aliter explicentur, quam sensu proprio sonant, omnino sufficere videtur *late* dicta necessitas, puta quod proprie accepta locutio contextui et circumstantiis minus congruat, quod vere probabilis ratio, ex disciplinis etiam mere humanis petita, id suadeat, dummodo — quod tamen satis res ipsa loquitur — numquam contorta, ac violenta fiat, sed naturalis sit totius loci interpretatio. Retinere igitur *proprium* litteralem sensum Scripturae non cogimur, quamvis hic minime incurrat in fidei et caritatis dogmata, neque rectam rationem pulset, quum vere probabilis aliqua ratio sensum litteralem *figuratum* potius quam proprium eligendum suadet, praesertim si in aliis ejusdem generis locis ita explicari Scriptura amat. Hoc enim est, non in allegorias historicum litteralem sensum deflectere; sed eum historicum ac litteralem sensum Scripturae tribuere, qui rei, et narrationi, et consuetudini Scripturarum aptius conveniat. Ex sexcentis unicum exemplum dabo. De Hierosolymitano templo praedixerat Jesus discipulis suis: *Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Uti nemo non intelligit, litteralis proprius horum verborum sensus est, ita minutatim templi illius muros ac fundamenta disjicienda ac subvertenda fore, ut unus lapis reliquendus non sit cum altero coagmentatus. Adversus alia Scripturae loca, adversus Tradi-

tionem Patrum, aut Romanorum Pontificum, Conciliorumque decreta non pugnat hic sensus; neque naturali lumini adversatur; imo revera *ita* adimpletam fuisse prophetiam in celebri expeditione ac victoria Titi, atque in divinitus fractis impii Juliani apostatae conatibus, interpretes nonnulli, puta Maldonatus, Bernardinus a Piconio, innuunt. Si igitur audire velimus legem a quibusdam, ut supra diximus, praescriptam, necesse erit id sine dubitatione credere *ita* factum. At nihil prohibet, quin relicto sensu verborum proprio, sensus historicus litteralis improprius, hyperbolicus laudatis verbis Christi tribuatur, hicque priori praeferatur vel ideo a). quod vix credi potest, Romanis — de quibus hic imprimis sermo — tantum otii fuisse, ut tam minute amplissimum templum, ejusque omnia fundamenta conscinderent; b). quod Josephus Flavius scribit, a vastitate urbis (de qua tamen eadem verba leguntur apud s. Lucam) immunes fuisse turres, quae praeter alias eminebant, partemque muri ad occidentem non fuisse dejectam; nec non c). ob vulgarem consuetudinem loquendi. Tuto igitur et sin probabilius, certe vere probabiliter verba Christi cum Corn. A Lapide, Natali Alexandro, aliis in *h. l.*, hyperbolice accipi possunt in hunc modum, ut vulgarem consuetudinem loquendi imitatus Christus dixerit, nullum lapidem super lapidem relinquendum, quo significaret, templum (et urbem) funditus diruendum, ejusque eversionem ingentem, horrendam supra modum esse futuram: quam sane praedictionem nemo dubitat, quin hoc modo plene eventus complerit.

Repetitio regularum rationalium.

389. Regulae hujusmodi pleraeque ex humanioribus litteris notae sunt. Quapropter duas notasse sufficiat.

1ª. *Omnis locutio propria proprie, figurata figurate accipiatur.*

2ª. *Vox omnis et locutio accipienda est proprie, nisi necessitas aliqua cogat eam improprie accipere.*

Dr. 1°. „. . . *accipienda est proprie*, nisi." Generatim enim verba in sensu proprio accipienda sunt, et speciatim verba Scripturae, quippe cujus character imprimis dogmaticus est et historicus.

Dr. 2°. „*Nisi necessitas aliqua* etc." Atqui

A). Necessitas *stricta* adest, si verba proprie accepta sensum parerent repugnantem veritati revelatae aut naturali *certo cognitae* v. g. Deum habere oculos, brachia etc., *oculus* scandalizans eruendus, *manus* abscindenda etc. *Ratio* est, quod Deus auctor est et revelationis et rationis, inter quas dissensio dari nequit. Ex hac causa simul patet, talem necessitatem non oriri ex eo quod verba proprie intellecta exhibeant mysteria, prophetias, miracula, quippe quae sunt *supra*, non autem *contra* rationem, et vires naturae.

B). Necessitas *late dicta* habetur, vi cujus interpretatio impropria saltem tolerari, imo aliquando praeferri potest, si proprius sensus contextui aliisve circumstantiis minus congruat, vel solida aliqua ratio etiam ex disciplinis mere humanis petita, sensum improprium suadeat. Cogita haec verba Christi: *Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.*

III.

De praecipuis subsidiis interpretationis.

390. Subsidia, quae remote faciunt ad rectam Scripturarum sacrarum intelligentiam et interpretationem, rationalia, seu, naturalia plurima sunt. At vero pleraque, uti ipsae regulae rationales, ex humanioribus litteris jam probe nota. Itaque paucis ea in memoriam revocasse, aut pro re nata exemplis illustrasse suffecerit. Ne autem ex indigesta eorum mole, confusio oriatur, et saltem aliquo ordine procedamus (nam haud raro, quae ad hanc referemus classem, non sine ratione ad aliam quoque referri possunt) ea in tres classes referimus, sc. alia ad ipsam orationem; alia ad scriptores; alia ad metho-

dum legendi Scripturas.

391. Ad ipsam *orationem*, praeter accuratam notitiam sensuum Scripturae, quae tradita est §. 1. hujus capitis, 1°. pertinet *usus loquendi* Scripturarum. Haec iterum notitia praeprimis supponit notitiam *linguarum* prae ceteris hebraicae et graecae, quibus libri sacri exarati sunt [1]), aut saltem *idiotismorum*, i. e., praecipue *hebraismorum* et *graecismorum* in Vulgata nostra latina editione frequenter occurrentium, atque insuper jam vigilantem aliquam ipsarum Scripturarum lectionem.

392. *Exempla nonnulla usus loquendi.* Qui vigilanter advertit in Scripturis sanctis genera locutionum, et quomodo apud eas aliquid dici soleat, mox sciet, in iis saepe per *fratres* et *sorores* denotari propinquos. *Nudum* dici, qui superiori veste exutus est, quod laborantibus maxime in mari et in agro commune est. *Inebriatum* dici hominem bene potatum. *Benedicere* per antiphrasin etiam sumi pro *maledicere*, *sanctificari* pro *pollui*. *Cornu* significare potentiam, *calicem* sortem, *funiculum* et *funes* hereditatem. *Vasa* ferme omnis generis denotare instrumenta, v. g. *vasa belli*, arma bellica quaevis; *vasa psalmi* instrumenta musica, etc. Multas occurrere metaphoras a nostro usu alienas, quales sunt *adeps* et *medulla* pro eo quod in re quacumque praestantissimum est, v. g. *adeps frumenti*, *medulla tritici*; *pingues* pro hominibus potentibus; *pennae* pro radiis solis; *filii areae* pro granis frumenti; *filii pharetrae* pro sagittis; *filia maris* pro insula; *filiae Jerusalem*, *Tyri*, *Edom* etc. pro urbibus vel oppidis ab urbe principe dependentibus, vel eidem vicinis; *sanguis uvae et botri* pro vino etc. etc. Demum vocabula et verba multa in Scripturis plane aliam habere significationem, quam apud profanos scriptores. Sic v. g. in Scripturis *justitia* saepius denotat internam hominis justificationem; *vita* sempiternam beatitatem; *mors* peccatum; *Verbum* secundam ss. Trinitatis personam; *fractio panis* ss. Eucharistiam; *regeneratio* sacramentum Baptismi etc. etc. Verbum *facere* saepe significat sacrificium offerre; *pascere* regere, praeesse; *osculari manum suam* adorare, revereri aliquem; Orientales enim reverentiam alicui exhibituri suam propriam manum osculantur; *contrahere manum* cessare speciatim ab oratione; Hebraei enim expansis manibus orare solebant, etc. etc.

393. Pauca quaedam idiotismorum genera exempli causa

[1]) Cfr. n. 153.-155. Ceterum *h. l.* dicta intellige secundum notata n. 174. et 176.

adjiciamus. In hebraeo adjectivorum penuria per substantiva suppletur. Sic *Ps.* LXXXVIII. 14. dicitur: *Tuum brachium* (est) *cum potentia*, pro potens. Comparativi et superlativi, qui in hebraeo desunt, variis modis redduntur; ita *Matth.* IX. 13. *Misericordiam volo, et non*, i. e., magis quam *sacrificium. Eccl*tis I. 2. *vanitas vanitatum*, i. e., vanitas maxima. *Ps.* XXXV. 7. *montes Dei*, i. e., montes altissimi. Crebriores sunt conjunctionum et praepositionum idiotismi. *Matth.* IV. 25. De *trans Jordanem*, i. e., ex regione trans Jordanem sita. *Ps.* CXXXIX. 9. *Ne tradas me Domine* A *desiderio meo*, i. e., contra desiderium meum *peccatori.* Praepositio *in* fere omnium aliarum praepositionum vim et significationem induit. Conjunctio *et*, quae in hebraeis et graecis codicibus frequentissima est, nunc copulativa, nunc disjunctiva est, nunc causam significat, nunc effectum, nunc affine aut simile, nunc oppositum; aliquando prorsus redundat, sic *Isaiae* LXIV. 5. *ecce tu iratus es*, ET, i. e., quia *peccavimus.* Ps. CXVII. 18. *Castigans castigavit me Dominus:* ET, i. e., sed, attamen *morti non tradidit me*, etc. etc. [1]).

394. Ad *orationem* pertinent 2°. cognitio *argumenti*, seu OBJECTI, in quo oratio versatur sive in toto aliquo libro, sive in partibus libri singulis aut certe principalioribus.

395. 3°. Attenta consideratio *contextus* orationis. „Prudentem — ita prudenter s. Hieronymus — semper admoneo lectorem, ut non superstitiosis acquiescat interpretationibus, et quae comatice pro fingentium dicuntur arbitrio, sed *consideret priora, media, et sequentia, et nectat sibi universa quae scripta sunt.*"

396. 4°. Comparatio locorum *parallelorum*, i. e., de eadem re disserentium. Saepe enim quae hoc loco obscurius dicuntur, apertius alibi ponuntur. Audiatur s. Augustinus: „Magnifice et salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fas-

[1]) De praecipuis idiotismis qui ex hebraeo, graecoque textu in Vulgata occurrunt, consuli facile possunt v. g. Card. Gousset, *Théol. dogm.*, Traité de l'Écrit. Sainte, chap. VIII. art. III. n. 296.-317.; Prolegomena ad opusculum, inscriptum: *Quaest. Scripturistic.*; *Introd. in lib. sac. V. et N. T.* (Hanicq) cap. III.; Ubaldus, *l. c.*, a p. 175.-184.; speciatim in *lib. Psalm.* cl. Lamb. Mortelmans, cap. XII.-XIV.; Ill. Beelen, *Het boek der Psalmen*, Inleid. a p. 14., alii.

tidia detergeret. Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime alibi reperiatur." Ratione igitur idem s. Doctor jubet: „*Ubi autem apertius ponuntur, ibi discendum est quomodo in locis intelligantur obscuris.*"

397. 5°. Cognitio *archaeologiae biblicae*, sive, *antiquitatum Judaicarum*, quae, prout respiciunt vel ipsam religionem, vel societatem civilem, eamque domesticam aut publicam, tripliciter distingui solent: in *sacras*, *domesticas*, et *politicas*. De his plura scitu dignissima tradit insignis *Analogia V. ac N. T.*, auctore Martino Becano, S. J.

398. 6°. Notitia saltem generalis antiquae historiae *profanae*, imprimis populorum, quibuscum Judaei commercium habuerunt.

399. 7°. Tandem notio *chronologiae*, et *geographiae* imprimis terrae sanctae seu Palaestinae, et regionum vicinarum. „Sacram Scripturam, ait s. Hieronymus, lucidius intuebitur, qui Judaeam oculis (saltem mentis) contemplatus sit."

400. Ut sensus facilius ope regularum perspiciatur juvabit attendere *scriptoris*, sive, *auctoris* secundarii praesertim a). adjuncta historica; quis et qualis fuerit; aut saltem, si ignotus sit, qua aetate scripserit; b). ad quos scripserit; c). quae ei fuerit scribendi occasio, et causa; d). quodnam consilium, seu, quis scopus; e). quo sermone et stylo utatur. Horum pleraque ex ipsa oratione saepe colligi possunt, aut debent, et prae ceteris in Apostolorum epistolis sedulo consideranda sunt. In aliis libris praesertim historicis praeterea interpres animadvertere debet, quis et qualis homo a sacris scriptoribus loquens inducatur, ut secundum principia cap. V. §. 2. tradita recte dijudicet, an et qua auctoritate ejus effata *in se* polleant.

401. Methodus legendi *Scripturas* consistit in servato triplici ordine, scilicet librorum, lectionis, et commentariorum.

402. Primus ordo est *librorum*, secundum quem universim expedit ante vetus Testamentum legere novum; quippe quod

velut scopus est et interpres veteris. „*In veteri Testamento* — ita diserte s. Augustinus — *est occultatio novi, in novo Testamento est manifestatio veteris.*" Et iterum: „Multum et solide significatur ad vetus Testamentum timorem potius pertinere, sicut ad novum dilectionem: quamquam et *in vetere novum lateat, et in novo vetus pateat.*"

403. Secundus est ordo *lectionis*, quae facienda est primum ad notitiam, necdum inhaerendo difficultatibus sive litterae sive mysterii: deinde repetenda est ad pleniorem cognitionem, litteralem sensum omni ex parte versando, tum mysticum indagando. Perspicua haec est mens saepius laudati magni Doctoris Ecclesiae, s. Augustini. „Erit igitur divinarum Scripturarum solertissimus indagator, qui primo totas legerit, notasque habuerit, etsi nondum intellectu, jam tamen lectione." Et rursum: „Prima observatio est, ut diximus, nosse istos libros, et si nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriae, vel omnino incognitos non habere. Deinde illa quae in eis aperte posita sunt vel praecepta vivendi, vel regulae credendi, solertius, diligentiusque investiganda sunt. Tum vero facta quadam familiaritate cum ipsa lingua divinarum Scripturarum, in ea quae obscura sunt aperienda et discutienda pergendum est, ut ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, et quaedam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant." „Hactenus — sic praemissas regulas declarat Eximius Steyaert — omnia sine Interprete, sive, Commentario. . . *Actus Apostolorum* et *Epistolae* cum *Psalmis* numquam de manu recedant. Ex *Proverbiis*, *Ecclesiaste*, *Sapientia* et *Ecclesiastico* quotidie aliqua sententia mandetur memoriae." „Praeterea — addit — pergatur in meditabunda lectione ipsius *Textus*; cui postquam adhuc assueverimus, accedere poterunt paulatim librorum commentarii paulo fusiores."

404. Itaque, quod ad ordinem et usum *commentariorum* attinet, certo utilis generalis illa cl. Patritii observatio: „ne

opertis oculis in alicujus interpretis, quantumvis sapientis et eruditi, verba jurare assuescamus." Ceterum iis, qui nondum studii Theologici curriculum emensi sacrarum Litterarum studio vacant, universim expedire equidem censuerim, paucis omnino, imo vel uni probato interpreti inhaerere, ejusmodi prae ceteris, qui, quoties de sensu non satis constat, sin praecipuas antiquorum et recentiorum sententias exhibeat, saltem de dubio vigente lectorem admoneat. Imo Alumnis plerisque praestare equidem opinor, simpliciter notis excipere scholia aut glossas, quae in praelectione traduntur. Vetus namque laudatumque proverbium est: *Discipulum oportet credere.*

405. *Scholion* 1um. Quam sapienter igitur *Statuta Seminarii* n. 54. admonent: „Porro quod ad partes legendas attinet, iis praesertim incumbere juvat quae in lectione jam expositae, seu declaratae sunt. Poterit etiam, si per tempus liceat, *in antecessum* utilissime legi ac relegi *Novum Testamentum*, ut illius textus, quoad fieri possit, memoriter cognoscatur. Recte monet Mabillonius in libro *De studiis monasticis*, ut prima Scripturae sacrae lectio simpliciter fiat; dein vero brevis aliquis commentarius adhibeatur, qui litteram succincte ac dilucide explicet, quales sunt *Menochius*, *Tirinus* etc."

406. *Scholion* 2um. Quod commentarii ampliori ambitu, id scholia et glossae angustiori praestant. Praestantissimi autem commentarii in Historia Ecclesiastica commemorantur. Inter glossas autem duae eminent, *ordinaria*, et *interlinearis*. Etenim *Glossa ordinaria*, cujus auctor est Walafridus Strabo, O. S. B., qui praeter s. Augustinum imprimis Rabanum Maurum, suum in monasterio Fuldensi magistrum secutus est, saeculo IX. edita, frequentissimum usum nacta est, et tantum valuit, ut a Petro Lombardo κατ' ἐξοχήν *auctoritas* appellaretur. Verum subsequenti tempore ei plures aliae, tum ex antiquis Ecclesiae scriptoribus, tum ex recentioribus auctoribus, ut ex Nicolao Lyrano, Paulo Burgensi, aliisque excerptae annotationes, etiam mysticae, insertae sunt, ita ut Glossa paulatim in commentarium excreverit, atque jam 6. aut 7. voluminibus constet. — *Glossa interlinearis* cujus auctor est Anselmus Laudunensis (Laon), † an. 1117., propterea sic dicitur, quod inter lineas versionis Vulgatae inserta est. Non minus quam praecedens comprobata fuit, licet non tam vocabulis obscurioribus explicandis, quam potius sensibus mysticis immoretur.

407. *Scholion* 3um. Cum s. Chrysostomo „rogamus et ob-

secramus ut illum Scripturae locum, quem interpretaturi sumus, praelibetis, ut intellectui lectio viam parans, multam nobis conferat facilitatem docendi."

Repetitio subsidiorum rationalium.

408. Subsidia istius generis alia ad ipsam orationem, alia ad scriptores, alia ad methodum legendi Scripturas referuntur.

I. Ad *orationem* pertinent 1°. notitia sensuum, usûs loquendi Scripturarum, quae supponit notitiam linguarum, quibus Scripturae primum scriptae sunt, vel certe praecipuorum hebraismorum et graecismorum. *Unum alterumve profer exemplum.*

2°. Cognitio *argumenti*, seu, *objecti* quod tractatur.

3°. Consideratio contextus orationis,

4°. locorum *parallelorum.*

5°. Cognitio *archeologiae biblicae*, sive, antiquitatis Judaeorum sacrae, politicae, et domesticae,

6°. historiae *profanae* praecipue populorum quibuscum Judaei commercium habuerunt,

7°. *chronologiae* et *geographiae* praecipue Palaestinae.

II. Ratione *scriptoris* juvat scire a). quis et qualis fuerit aut saltem qua aetate scripserit, b). quibus, c). qua occasione, d). quo scopo, e). quo stylo.

III. *Methodus legendi* triplicem servari suadet ordinem, nempe: a). *librorum*; lege prius N. dein V. T. quia „*in novo vetus patet.*" — b). *lectionis.* Primum totas Scripturas simpliciter lege, dein meditare, et sensum indagare. c). *commentariorum*; ne in cujusvis privati verba jures; uni probato assuescas; glossas excipe tradendas in praelectione.

Nota. Glossa ordinaria confecta ex s. Augustino, et Rabano Mauro per Walafridum Strabonem, O. S. B., saec. IX., ceu *auctoritas* per excellentiam diu valuit; verum dein in commentarium excrevit, qui sex aut septem voluminibus constat. *Glossa interlinearis* sic dicitur quod inter lineas versionis Vul-

gatae inserta est per Anselmum Laudunens. (Laon, † 1117.); sensibus mysticis praecipue immoratur.

---

409. Subsidia dogmatica, seu, supernaturalia, aliis verbis: dispositiones animi requisitae ad facilius, ope regularum, intelligendas Scripturas, praecipuae sunto sex sequentes: fides vivida, vitae puritas, humilitas, recta intentio, spiritus laboris, et maxime orationis.

410. *Fides* enim lumen est spirituale, quo intellectus elevatur et illustratur ad cognoscendum ea quae sunt fidei; et, si *vivida* fuerit, mire adjuvat ad divina eloquia intelligenda. Quod ss. Patres omnes facto probant; atque inter alios s. Augustinus et Anselmus etiam sententiis praeclarissimis enunciant. „*Intellectui* — ita Augustinus — *fides aditum aperit, infidelitas claudit.*" Et iterum: „*Intellectus est merces fidei: ergo noli quaerere intelligere ut credas, sed crede ut intelligas.*" S. Anselmus ipsum Deum affatus, „Domine, inquit, desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam credit et amat cor meum. *Neque enim quaero intelligere, ut credam: sed credo, ut intelligam. Nam et hoc credo, quia nisi credidero, non intelligam.*"

411. *Vitae puritas.* Hujus requisiti ipsam Scripturam testem habemus ubi dicit: *Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* „Errat, inquit s. Augustinus, quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat." Proclivitas praesertim ad graviora quaedam vitia, utputa ad pudenda vitia carnis, ad avaritiam, gulam, et quae hujusmodi sunt cetera, et divina Scripturarum sapientia recusant una commorari. Quod ipsum b. Hieronymus his verbis Vigilantium commonebat: „Non est ejusdem hominis et aureos nummos et

Scripturas probare, et degustare vina et Prophetas vel Apostolos intelligere." „Neque refert, ad rem Sylvius ait, quod etiam impuri et immundi possint multa scire, non tantum de rebus naturalibus, sed etiam de sacris Litteris: certum enim nihilominus est, quod immunditia magnum sit sapientiae acquirendae impedimentum; imo quod veram, christianamque, in coelestium rerum cognitione affectuosa consistentem sapientiam, habere non possint qui corde sunt immundi: et idcirco, *si scientiae spiritali in corde vestro vultis tabernaculum praeparare, ab omni vos vitiorum contagione purgate, et curis saeculi praesentis exuite*, ait Abbas Nesteros apud Cassianum." Conceptis verbis idipsum S. Pontifex Leo XIII. inculcat in Breve 4. Aug. 1880. „Cum hoc sit", quo s. Thomam Doctorem Angelicum Patronum scholarum catholicarum declarat, „Est autem, inquiens, virtus ad periclitandas ingenii vires adipiscendamque doctrinam praeparatio optima; quam qui negligunt, solidam fructuosamque Sapientiam falso se consecuturos putant, propterea quod *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*" Quo eodem sensu *Ecclesiasticus* ait: *Homines stulti*, pravi, *non apprehendent illam* (sapientiam), *et homines sensati obviabunt illi; homines stulti non videbunt eam: longe enim abest* (nominatim) *a superbia et dolo.* Hinc

412. *Humilitas.* Requirit humilitatem Deus, ut verborum suorum intelligentiam salutarem concedat, aperiatque nobis sensum ut intelligamus Scripturas. Id utriusque Testamenti paginae proclamant. *Confiteor* — ita ipse Jesus — *tibi Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te.* Et Psalmista: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis* corde, id est, humilibus. *Ubi autem est humilitas, ibi et sapientia. Simplicitas justorum diriget eos.*

413. *Intentio recta*, qua Scripturarum studiosus ultimùm

respiciat majorem Dei gloriam, et suam aliorumque promovere salutem. Coelestem enim sacrorum Librorum thesaurum Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus eo consilio tradidit, ut ex iis instruantur ad salutem, per fidem, quae est in Christo Jesu; et ut credentes vitam habeant in nomine Ejus. Hic totius Scripturae scopus. Haec ejusdem summa: amor Dei, et proximi. Atque haec sunt, quae ss. Patres et probatissimi scriptores etiam atque etiam commendant: „Quo enim spiritu Scripturae factae sunt, inquit auctor *epistolae seu tractatus ad Fratres de Monte Dei*, eo spiritu legi desiderant, ipso etiam intelligendae sunt. Numquam ingredieris in sensum Pauli, donec *usu bonae intentionis* in lectione ejus, et studio assiduae meditationis, spiritum ejus imbiberis. Numquam intelliges David, donec ipsa experientia ipsos Psalmorum effectus indueris. Sicque de reliquis." Et jam pridem s. Augustinus: „Quisquis igitur Scripturas divinas vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita ut eo intellectu non aedificet istam geminam caritatem Dei et proximi, *nondum intellexit.*"

Speciatim ad rem nostram appositissima sunt quae *Statuta Seminarii* n. 48. universim cum s. Bernardo inculcant. Laudatus Ecclesiae Pater et Doctor edisserens modum sciendi, nominatim quaerit: „*Quo fine* quaeque nosse oporteat?" respondetque: „ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad aedificationem tuam vel proximi. Sunt namque qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant; et turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi; et turpis vanitas est. Qui profecto non evadent subsannantem satyricum, et ei qui ejusmodi est decantantem:

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Et sunt item qui scire volunt, ut scientiam suam vendant; verbi causa, pro pecunia, pro honoribus; et turpis quaestus est. Sed sunt quoque qui scire volunt, ut aedificent; et charitas est. Et item qui scire volunt, ut aedificen-

tur; et prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiae, quippe qui ad hoc volunt intelligere ut bene faciant."

„Numquam ergo — ita sapienter monet Exim. D. Steyaert, — (s. Scriptura) legenda ex curiositate, multo minus ex vanitate, imo ne quidem communiter solo studendi animo; utpote voluntati potissimum non intellectui scripta."

„Alioqui — ita proxime antegressis verbis praemittit Amplmus Vicarius Aplicus Sylvaducens. — (docemur) magna nobis imminere ex ipsis *divinis Litteris* pericula subversionis, excaecationis, obdurationis." Revera, nisi a studio Scripturarum, praesertim V. T., omnem — ut universim *Statuta* monent — removeamus sinistram intentionem, periculum imminet ne ipsas Scripturas sanctas ad nostram ipsorum perditionem depravemus. Perpendantur quae s. Basilius Magnus, peritissimus christianae pietatis magister, commonebat Chilonem discipulum suum. „Neque etiam lectiones negligas Testamenti Novi maxime, *propterea quod saepe* ex *Veteri Testamento oritur detrimentum*: non quod scriptae sint res noxiae, sed quod eorum qui laeduntur, mens infirma. Omnis enim panis ad alendum idoneus; sed nocet infirmis. Sic igitur omnis Scriptura divinitus inspirata est atque utilis, nec in ea quidquam inquinatum; nisi quod inquinatum esse putat, id ipsi inquinatum est. Omnia autem proba, quod bonum est tene: ab omni specie mala abstine, omnia enim licent, sed non omnia expediunt." Praeclare dictum. In Scripturis namque non omnia expediunt omnibus, aut omni aetati. Id vel ipsi Judaei agnoverunt. Nimirum adolescentes, qui nondum trigesimum aetatis annum attigerant, uti scribit Hieronymus, legere non sinebant Genesim, quaedam Ezechielis capita et Canticum Canticorum. Propterea consulto juniores legere sunt illa prohibiti, quae sicut spiritualiter accepta vivificant, ita carnaliter intelligentibus ipsa carnalis intelligentia occasiones

carnalis concupiscentiae subministrat [1]).

414. Denique *spiritus laboris*, sedulitas accedat oportet, qua in studio divinarum litterarum vincatur torpor ac taedium, et excitetur attentio ac meditatio. In rem hanc optime s. Chrysostomus: „Nam si in saecularibus rebus, inquit, nemo magnum quidpiam lucrari deprehenditur, si obiter et perfunctorie agat, multo magis in rebus spiritualibus id eveniet, quia hae majori opus habent diligentia. Propterea Christus Judaeos ad Scripturas remittens, non ad simplicem et nudam lectionem, sed ad investigationem perquam diligentem relegavit. Neque enim dixit, legite Scripturas; sed, *scrutamini Scripturas*. Quia ea, quae de Ipso ibi dicuntur, multa opus habent investigatione (sub umbra enim quadam veteribus occulta erant), ideo illos accurate fodere jubet, ut in profundo posita reperire possint. Neque enim in superficie vel in conspectu jacent, sed quasi thesaurus quidam profunde admodum recondita sunt. Qui vero profunde posita quaerit, *nisi summam adhibeat diligentiam et laborem*, numquam quod quaerit inveniet. Ideo dixit: *Scrutamini Scripturas.*" Et s. Hieronymus: „Ausculta paulisper quo in Scripturis sanctis calle gradiaris. Totum quod legimus in divinis Litteris, nitet quidem, et fulget etiam in cortice, sed dulcius in medulla est. *Qui edere vult nucleum, frangit nucem.*" Et paulo inferius: „Accingere quaeso te, accingere. *Nihil sine magno labore* vita dedit mortalibus."

415. Praecipuum et maxime necessarium adjumentum ad Scripturas recte intelligendas et interpretandas procul dubio est pia ad Deum precatio; *quia Deus scientiarum, Dominus est*, et non nisi postulantibus et orantibus sapientia promittitur. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo. . . . et dabitur ei.* „Quoniam — cum cl. Patritio loquimur et sentimus — *omnis sapientia a Domino Deo est*, altius quam fieri potest studiosorum animis haec Augustini verba inscripta esse

[1]) Cfr. Joan. Devoti, *Instit. Canon.* T. II. p. 278.

vehementer optamus: „*non solum admonendi sunt studiosi venerabilium litterarum, ut in Scripturis sanctis genera locutionum sciant, et quomodo apud eas aliquid dici soleat, vigilanter advertant, memoriterque retineant; verum etiam,* QUOD EST PRAECIPUUM ET MAXIME NECESSARIUM, ORENT *ut intelligant.*" Id certe egit ipse Augustinus, qui Scripturas explanans saepius ad Deum opem imploraturus confugiebat; id Hieronymus flagitans aliorum etiam precibus ac votis juvari ad divina oracula enarranda; id Thomas, qui „*in difficultatibus locorum sacrae Scripturae ad orationem jejunium adhibebat.*" „Igitur — ut cum *Statutis Seminarii* n. 49. concludamus — Alumni saepe, et maxime initio studiorum, lectionum et conferentiarum, lumen S. Spiritus devote implorent."

416. *Scholion.* Quanti valeant haec subsidia exemplo est s. Benedictus Joseph Labre, qui „anno supra decimum vix absoluto, missus in civitatem vulgo *Erin*, penes ejus patruum, Josephum Franciscum, ibidem studiis impigre vacavit, et ad latinam praesertim linguam addiscendam sese applicuit, in qua bene versatus sacram Scripturam saepe et libentissime perlegebat, cujus sensum, divino collustrante lumine, facile assequebatur; atque ita memoriter sacra verba retinebat, ut ea haud exacte referentibus prompte vera depromeret" [1]).

Repetitio subsidiorum supernaturalium.

417. Animi dispositiones, quae in lectore ad salubrem intelligentiam Scripturarum requiruntur, potissimae sex sunt: 1°. fides vivida, 2°. vitae puritas, 3°. humilitas, 4°. intentio recta (gloriae Dei et salutis animarum, non sola sciendi cupiditas), 5°. spiritus laboris, et 6°. maxime orationis.

[1]) Ita Compendium vitae b. Benedicti Josephi Labre, *Acta Sanctae Sedis*, vol. XIV. p. 276.

SUBSCRIPTIO.

„Longior evasit liber hic quam volebam, quamque putaveram. Sed legenti vel audienti, cui gratus est, longus non est: cui autem longus est, per partes eum legat, qui habere vult cognitum: quem vero cognitionis ejus piget, de longitudine non queratur. Ego tamen Deo nostro gratias ago, quod in his (sex capitibus) non qualis ego essem, cui multa desunt, sed qualis esse debeat, qui in doctrina sana, id est, christiana, non solum sibi, sed etiam aliis laborare studet, quantulacumque potui facultate disserui" [1]).

Laudetur Jesus Christus! In saecula.

[1]) s. Aug. *De doct. christ.* lib. IV. cap. ult.

INDEX RERUM.

PAG.

Praefatio 3
Ordo Tractatus 6

CAPUT I.

De Scripturae sacrae natura.

§. 1.

SCRIPTURAE SACRAE DEFINITIO, HUJUSQUE EXPOSITIO.

Scripturae sacrae definitio 7
Notio *verbi Dei* 7
Scriptura et Traditio divina fons divinae revelationis, et regula fidei *continens*, *remota*, *inanimata* 7
Regula fidei *animata*, *explicans*, *proxima* est Ecclesia per orbem dispersa, Concilium oecumenicum, et Rom. Pontifex ex cathedra loquens, verbo: auctoritas Ecclesiae . . . 7
Inspiratio *activa*, *passiva*, *terminativa* 8
Omnia omnino facta et dicta, quae in Scriptura *originali* continentur, inspirata sunt a Deo, etiam *aliena* 8
Differentia *ultima* Scripturae 1°). a Traditione divinâ, 2°). a definitionibus Ecclesiae 9
Convenientia, et differentia vocum: auctor et liber *sacer*, *inspiratus*, *canonicus* 9
Notio Ecclesiae *docentis* 9
Notio magisterii Ecclesiae *ordinarii* et *extraordinarii* . . . 10
Notio auctorum Scripturae *secundariorum*, horumque habitudo ad *amanuenses* 11
Sensus quo, et ratio propter quam auctores secundarii *sacri* audiunt 12
Ecclesia a Christo instituta perpetuus custos ac magistra divinae revelationis, proindeque ex jugi assistentia Spiritus Sancti interpres ac judex infallibilis 12

PAG.

Romanae Ecclesiae auctoritas est *medium* hypothetice omnibus necessarium, ordinarium, authenticum, omnibus aptum ad cognoscendum *integrum* sacrorum librorum catalogum . . 13

Ecclesiae propositio, hos determinatos libros esse *verbum Dei*, Scripturae libris non tribuit auctoritatem internam; hac pollent *ex se ipsis*, sive, ex ipso eorumdem auctore principe, Deo; — sed mere externam, sive, *quoad nos* 13

Consequenter ipsa Dei in Scripturis revelantis auctoritas nobis *motivum formale* est propter quod fide divina credimus omnibus veritatibus in Scriptura revelatis; et Ecclesiae propositio nobis simplex est *motivum credibilitatis* 14

Ergo Protestantes errant ét ubi praedicationem Ecclesiae de canone Scripturarum traducunt ceu merum verbum hominum fallibilium; ét ubi falso nobis imponunt, nos Ecclesiam constituere *supra* verbum Dei. Quandoquidem profitemur, Ecclesiam secundum Christi promissionem ex jugi assistentia Spiritus Sancti in doctrina fidei et morum esse infallibilem, eamque in credendo dirigi *verbo Dei*, sicque esse *sub verbo Dei*, nos autem indigere testimonio Ecclesiae infallibilis, ut fide certi reddamur de *integro* verbo Dei, illiusque genuino sensu 13

§. 2.

DIVISIO SCRIPTURAE.

In libros *V.* et *N.* T., *proto-* et *deutero-*canonicos, legales, historicos, sapientiales et propheticos 15

§. 3.

PROPRIETATES SCRIPTURAE.

Quatuor: *dignitas*, *profunditas*, *jucunditas*, et *utilitas* . . 17

Duo sunt Protestantismi saeculi XVI. principia palmaria: 1um. *Scriptura* est *unica* regula fidei. 2um. Sensus Scripturae *libero cujusque examini* commissus est. Consequens est cuique imposita obligatio scrutandi Scripturas, atque praetensa earumdem certe in omnibus rebus fidei et morum claritas interna, et absoluta. Adhuc has consequentias, utpote obsoletas, refellere supervacaneum. Ipsae porro consequentiae falsae suapte natura falsitatem principiorum evincunt. *Fal-*

PAG.
sum non continetur nisi sub falso 17
Dignitas Scripturae potissimum refulget ex ipso illius auctore principe 18
Jucunditas commendatur ex Scripturae a). veritate absoluta; b). forma litteraria 18
Utilitas maxima imprimis ministris sacris ut attendant sibi, et doctrinae 19

CAPUT II.

De Scripturae inspiratione.

§. 1.

DOCTRINA ECCLESIAE TRADITA A CONCILIO VATICANO.

Speciatim tres fidei veritates complectitur:
a). Factum inspirationis rerum, seu, veritatum omnium, quae in Scriptura originali continentur 23
b). Factum saltem simplicis *conformitatis* Vulgatae cum Scriptura originali 24
c). Sensum quo, et rationem per et propter quam libri a Tridentino recensiti cum omnibus suis partibus pro sacris et canonicis habendi sunt 24
Errores laudato canone et decreto Vaticano *positive* damnati 24
Textus *per se*, et *per accidens dogmatici* 25
Notio revelationis stricto, et lato sensu acceptae, illiusque ad inspirationem habitudo 26
Errores duo recentes speciatim per *decretum* Vaticanum exclusi et rejecti 27. 28

§. 2.

DE SCRIPTURAE INSPIRATIONE.

Ecclesiae *sensa* 31
Vi inspirationis Deus auctor librorum Scripturae cum omnibus eorum partibus non tantum ratione *materiae*, sed maxime ratione *scriptionis* eorumdem 31
Requisita ut *quis*, nominatimque *Deus* vere dici queat *auctor libri* princeps 31. 32
Libri *formale*, seu, *essentiale*, et *materiale*, seu *accidentale*. 31
Notae quatuor ex mente Ecclesiae requiruntur ad genuinam

PAG.

inspirationem 33

Legitima inspirationis definitio, hujusque expositio . 33. 34

Veritas scriptori sacro naturali modo cognita vel *cognoscibilis* bene potuit inspirari ad scribendum 35

Vera inspiratio non excludit sacri scriptoris industriam et studium ad concipiendas veritates, quas ab eo Deus scribi voluit. Ergo nihil obstant inspirationi quae v. g. dicit auctor lib. II. *Machab.* II. 24.-27., et multo minus ejusdem excusationes de tenuitate et mediocritate sermonis 35

Inspiratio non laedit scriptoris libertatem 36

Inspiratio stricte dicta distinguitur ab omni alio munere et charismate, puta a revelatione stricte dicta; ab assistentia divina in scribendo; ab inspiratione *ad loquendum*; a munere *Apostolatús* 36

Inspiratio tamquam attributum includit jugem Spiritus Sancti assistentiam, quae scriptorem sacrum ab omni errore immunem praestet 37

Falsa opinio Ludovici Ellies Dupin; — Bonfrerii inspiratio *concomitans*; — *subsequens* Lessii et Hamelii . . 37. 38

Intolerabilis opinio eorum qui negant inspirationem se extendere ad res *minimas*, quae in Scriptura originali, vel in versione ejusdem fideli, sincera occurrunt 38

Et *a fortiori* eorum, qui cum Aëtio, et Erasmo non veriti sunt affirmare, auctores sacros in rebus non *per se* revelatis errare potuisse, imo reipsa identidem memoria aut affectu lapsos esse 39

§. 3.

DE INSPIRATIONE QUAESTIONES SCHOLAE.

Duae adhuc moventur: Prior quaestio *juris*: An sit de *essentia* Scripturae quod sit dictata, sive, proprie inspirata a Deo quoad singula verba? — Altera quaestio *facti*: An Scriptura originalis a Deo dictata *est* non tantum quoad res, sed *etiam quoad singula verba*? 41

Ad utramque quaestionem propugnatur opinio negans quae tamen facile aliquam patitur exceptionem, quae regulam confirmet 42

PAG.

CAPUT III.

De Scripturae canone.

§. 1.

NOTIO CANONIS.

Definitio canonis etymologica 45
Sensus quo vox *h. l.* sumitur 46
Descriptio *canonis Scripturae*, ipsiusque *canonicitatis* . . . 46
Corollaria 46
Ecclesiae non opus fuit *nova* revelatione ut librorum *deutero*-canonicorum *canonicitatem* definiret 47
Nequit liber humanus inspiratus fieri ex eo quod canoni inseritur 47

§. 2.

DIVISIO LIBRORUM HABITA RATIONE AD CANONICITATEM.

In *canonicos*, qui subdistinguuntur in *proto-* et *deutero*-canonicos, et in *apocryphos*, eosque *positive* vel *negative* . . . 48
Recensio utriusque T. librorum proto- et deutero-canonicorum. 48
Definitio etymologica librorum apocryphorum, et fundamentum, quo in *positive*, et *negative* apocryphos distinguuntur, et singulorum nonnulla specimina 50

Appendix de libris deperditis. 51

§. 3.

DIVISIO, ET SUMMA HISTORICA IPSIUS CANONIS.

Triplex distingui solet canon, sc. Judaeorum, catholicorum et haereticorum 51
Authentici canonis *Judaeorum* exorti tempus, auctor, complexus, et ratio generalis, ac specialis propter quam *solos proto*-canonicos contineat 52
In historia canonis *catholicorum* triplex distinguitur, et paucis explicatur stadium. *Primum* ab exordio Ecclesiae usque ad exitum saeculi III., vel initium saeculi IV. dici potest stadium *simplicis fidei* 53
Secundum inde usque ad labens saeculum V. stadium *theoreticae dubitationis* et *inquisitionis* penes nonnullos doctores. 54

PAG.
Investigatur hujus dubitationis occasio, et causa 55
Indicantur modi, quibus nonnulli inde a saec. VI. usque ad decretum Concilii Tridentini, a quo ducitur *tertium* stadium, sc. *certitudinis dogmaticae*, adeoque *absolutae*, libros deutero-canonicos, vel horum aliquem extra canonem numerare videntur 56
Datur ratio, ob quam praecedentium Conciliorum ac Pontificum decreta non penitus omnem omnibus catholicis dubitationem ademerint 56
Canon acatholicorum ne vix firmus 57
Opinio Lutheri, Calvini, et subsequentium Protestantium . 57

§. 4.

DECRETI TRIDENTINI „DE CANONICIS SCRIPTURIS" PARTES, FALSAE INTERPRETATIONES, ET GENUINI SENSUS TUITIO.

I.

DECRETI TRIDENTINI PARTES.

Quatuor 60

II.

Interpretationes falsae: a). Dris Jahn, tenentis post Tridentinum admitti posse diversum gradum auctoritatis inter libros proto- et deutero-canonicos 61
b). Sixti Senensis, excludentis ultima capitula *Estheris* e numero partium, quas decretum recipi jubet. 61
c). Nonnullorum *veterum*, contendentium nomine *partium* in decreto intelligenda esse minima quaeque, prout in Vulgata habentur 62
d). Nonnullorum *recentium*, qui opinati sunt, nomine *partium* a Patribus Tridentinis intellectas esse partes deutero-canonicas libri Danielis et Esther, de quibus cum Protestantibus erat controversio. De ceteris partibus deutero-canonicis v. g. Evangeliorum, nihil *vi decreti Tridentini* certum esse, ac judicium de earum canonicitate et genuinitate criticis rationibus commissum manere. 64

PAG.

III.

TUITIO GENUINI SENSUS DECRETI TRIDENTINI DE CANONICIS SCRIPTURIS.

Adversus D^rem^ Jahn c. s. probatur genuinum decreti sensum esse: canonis Tridentini libros omnes tam deutero- quam proto-canonicos sine discrimine sacros esse, ejusdemque auctoritatis divinae 65
1°. Ex ipso decreto Tridentino 65
2°. Ex historia Concilii Tridentini 67
3°. Ex declaratione Concilii Vaticani 67
Adversus nonnullos recentes, certo *vi decreti* recensiti libri omnes cum *omnibus* suis *partibus* in *concreto*, *prout* in Ecclesia catholica legi consueverunt, *et* in Vulgata tum temporis habebantur, pro *canonicis* habendi sunt, atque adeo saltem simpliciter *authentici*, nominatim — ut nobis quidem videtur — quoad omnes et *singulas* partes *per se* dogmaticas, et quoad substantiam partium, quae *per accidens* dogmaticae vocantur 68
Relato principio, in quo innixi Patres Tridentini suum judicatum ediderunt, sensus iste ut genuinus defenditur 1°. ex ipsius Concilii, atque illius temporis historia 69
2°. Ex principio theologico 70
3°. Ex ipsis verbis, et 70
4°. Ex scopo decreti principali 71
Rejicitur proin consequentia, quam adversarii ex suo decreti intellectu statuerunt, praeter partes Danielis et Esther, de ceterarum partium canonicitate et authentia judicium *examini critico* esse relictum 71
Declaratur habitudo inter fidem et scientiam criticam . . . 71
Infertur et suadetur vi decreti imprimis comma *Joanneum* habendum esse canonicum, et adeo genuinum 72

CAPUT IV.

De sacrae Scripturae textibus.

§. 1.

I.

NOTIO TEXTUUM SCRIPTURAE IN UNIVERSUM.

Determinatur sensus, quo vox „textus" *h. l.* accipitur . . 76

PAG.
Distinguitur textus latius sumptus in *originalem*, et *translatitium*. 76
Textus originales strictius sumpti in *archetypos*, seu, *autographos*, et *apographos* 76
Item textus translatitii, seu, versiones in *immediatas*, et *mediatas* 77

II.

DE SCRIPTURAE TEXTIBUS ORIGINALIBUS.

Sunt hi generatim duo, *hebraicus*, et *graecus* 77
Lingua *syro-chaldaica*, *aramaeo-palaestinensis*, quo idiomate etiam ipse Christus videtur usus 77
Magis speciatim refertur lingua originalis librorum V. T. . 77
Item Novi 78

III.

DE TEXTUUM CODICIBUS ET EDITIONIBUS.

Declarantur haec nomina 78
Aetas codicum *hebraeorum*, qui vocantur *antiquissimi*, *antiqui*, *recentiores* 78
Puncta vocalia et *accentus* 79
Masorethae, *Masora*, hujusque *valor* criticus, et praecipua pars *keri* et *chetiv* 79
Divisio codicum textus graeci in *unciales*, et *minusculos* . . 80
Unciales praecipui: *Vaticanus*, *Sinaiticus*, *Alexandrinus*, et *Ephremi rescriptus* 80
Praeceteris Vaticani et Sinaitici utilitates 81
Textus receptus 81

IV.

DE TEXTUUM INTEGRITATE.

Textus apographi tam hebraeus quam graecus *substantialiter* integri ad nos pervenerunt 81
Causae mendorum *accidentalium*, et lectionum variantium, horumque indoles 82

V.

DE TEXTUUM UTILITATE.

Etiamnum textuum utilitas quadruplex commendatur . . . 82
Rejicitur sententia: textus, linguasque orientales etiamnum om-

PAG.
nibus Theologis et Praedicatoribus esse *necessarias* . . . 83
Regulae *practicae* 84

§. 2.

DE SCRIPTURAE VERSIONIBUS GRAECIS.

I.

Recensentur versiones *Aquilae*, *Theodotionis* etc. 86
Origenis *Tetrapla* et *Hexapla* 87
Quatuor *Biblia polyglotta* 88

II.

SPECIATIM DE VERSIONE LXX.

Variorum nominum ratio 88
Notatur quaenam in ejus confectionis historia ceu certa, vel probabiliora habeantur 88
Item incerta prorsus 89
Commendatur ejusdem auctoritas 89
Substantialis integritas 89
Editio Sixti V., P. M. 90

DE VERSIONIBUS LATINIS.

I.

DE ITALA.

Paucis tractantur quaestiones praeviae: Quâ linguâ primis fidei temporibus Ecclesia Romana sacram liturgiam celebrarit? Et: Unde proveniant linguae latinae proprietates, quae veteri versioni latinae (Italae) insunt? 91
Italae aetas, et locus confectionis, ratio nominis, auctor, vel auctores 92
Varia nomina, fontes, dotes, auctoritas critica, et usus . . 95
Notio Psalterii *Romani* et *Gallicani* 96

II.

DE VERSIONE HIERONYMIANA.

S. Hieronymus „Novum T. graecae fidei reddidit; vetus juxta Hebraicam transtulit" 97
Tribus rationibus motus 98
Regulas secutus tres ceu praecipuas 98
Dotibus eximiis ad grande illud opus perficiendum instructus. 99

PAG.

Vel ipsi acatholici recentiores plerique agnoscunt ejusdem praestantiam 100

III.

DE VULGATA NOSTRA LATINA.

Vulgata nostra constat ex versionibus Itala et Hieronymiana. 101

IV.

DE VULGATA EX CONCILII TRIDENTINI DECRETO PRO AUTHENTICA HABENDA.

Refertur ipsum decretum 101
Praevie traditur notio authentiae 102
Distinguitur authentia *originalis* et *conformitatis*. 102
Datur ratio propter quam versiones fideles *in se* eamdem habent auctoritatem ac ipsae Scripturae originales 103
Cum multis Theologis authentia condividitur in internam, et externam 103
Authentia *conformitatis* subdividitur in *absolutam* et *respectivam*. 104
Declarantur status et momentum quaestionis *h. l.* tractandae maxime habito respectu ad Protestantes 105
Decreti edendi occasio fuerunt plurimae, quae tempore Concilii circumferebantur latinae editiones, putà *Erasmi*, *Osiandri* etc. 107
Indicantur causae ex quibus enatae variantes lectiones Vulgatae, ejusque menda *accidentalia* 107
Notantur praecipua *Correctoria biblica*, sive, *Epanorthotae* . 107
Declarantur decreti scopus generalis et specialis, ac principium in quo innititur 108
Referuntur potissima argumenta, quibus innixi nonnulli tenent decretum esse *disciplinare* 109
Aliorum qui tenent esse *dogmaticum* 110
Declaratur decreti *objectum* 111
Notantur versiones Chaldaicae, quae *Targumim* et *Paraphrases* vocantur, item Syriaca, quae dicitur *Peschito* 112
Recolitur opinio aequo rigidior nonnullorum veterum, — justo laxior nonnullorum recentiorum circa *extensionem* ipsius *decreti* Tridentini 113
Declaratur qui legitimus videtur decreti sensus, veraque extensio 114

PAG.

Penitius declaratur: Quaenam ad textus *per se* dogmaticos pertineant, et unde hi dignosci queant 114

Speciatim explicatur illa propositionis pars: „non tamen in gradu supremo" 115

Res exemplis illustratur 116

Paucis defenditur indicatus sensus et extensio decreti adversus recentes quosdam eruditos 118

Pluribus adversus nonnullos veteres Theologos, sc. 1°. expositione legitimi sensûs ultimae partis decreti „*et ut nemo* Vulgatam *rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat*" . 118

Speciatim quid haec pars prohibeat, ac non prohibeat . . 119

2°. Ex scopo decreti 120

3°. Ex *objecto* decreti 120

4°. Ex legitimis testimoniis 121

V.

DE VULGATA EX DECRETO TRIDENTINO QUAM EMENDATISSIME IMPRESSA.

Refertur summa historica emendatae Vulgatae 126

Agnoscuntur differentiae *accidentales* inter editionem Sixtinam et Clementinam 128

Verum plane absurdi sunt, qui ex recognitione Bibliorum critica, quam Sixtus V. et Clemens VIII. instituerunt, argumentum petunt adversus infallibilitatem Pontificis ex cathedra loquentis 128

Indicantur causae propter quas nonnulla, quae mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt 129

Aetas et auctor divisionis Vulgatae in capita 129

In versus, et numeros, hujusque partitionis auctoritas . . 130

CAPUT V.

De Scripturae sacrae auctoritate.

§. 1.

UNIVERSIM.

Declarantur momentum et status quaestionis 132

Praeoccupatur trita objectio Protestantium, in probatione, de qua agitur, peccare nos sophismate, quod *circulus vitiosus*, sive, *petitio principii* vocatur 134

PAG.

Declaratur pondus vere singulare quod inest testimonio Ecclesiae Romano-Catholicae, si consideretur quasi foret societas mere humana 135

Solvitur memorata objectio 137

Probatur: *Omnes integram ab Ecclesia propositam Scripturam ut verbum Dei, adeoque ut divina pollentem auctoritate admittere debere,*

1°. adversus *Catholicum* praejudiciis captum 137

2°. Adversus *Judaeos* 138

3°. Adversus *Incredulos* 138

§. 2.

SPECIATIM DE AUCTORITATE VERBORUM ALIENORUM, QUAE SCRIPTURA REFERT.

Enodatur quaestio *practica* de auctoritate verborum, quae tamquam ab aliis hominibus prolata sacri scriptores referunt. 141

Speciatim indoles sententiarum, quas scriptores profani emiserunt, sacri autem assumunt, et probant v. g. s. Paulus illud Epimenidis: *Cretenses semper mendaces* etc. 143

Vis formulae: *scriptum est*, et similium 146

CAPUT VI.

De sacrae Scripturae interpretatione.

§. 1.

DE SENSIBUS SCRIPTURAE.

Definitio sensûs Scripturae, illiusque expositio 147

Divisio sensûs *litteralis* ratione a). ipsorum verborum . . . 150

b). rerum 151

Noti versiculi: „*Littera gesta docet*" etc. ut divisio sensuum Scripturae non probantur; quidem quatenus docent Scripturae libros quadrifariam exponi posse 152

Declaratur quis sensus subsit a). allegoriae rhetorum . . . 152

b). parabolae, variaque hujus vocis in Scripturis acceptio . 152

Tangitur celebris quaestio: An reipsa alicui Scripturae loco subsit sensus *litteralis duplex* 154

Penitius declaratur Scripturae proprius sensus *spiritualis*, et ratio propter quam variis nominibus a variis vocatur aucto-

PAG.
ribus 154
Notio *typi*, et regula duplex, quâ a mero symbolo discernitur 155
Distinctio sensuum spiritualium 156
Convenientia, et differentia inter sensum litteralem et spiritualem 157
Monitum practicum 159
Paucis solvuntur tres quaestiones speciales de sensu spirituali.
1ª. Qua certitudine adversus heterodoxos constat etiam hunc sensum Scripturis subesse 160
2ª. An *omnia* in V. T. typi fuerunt? 161
3ª. An etiam Novum T. typos, et sensum spiritualem habet? 163
Definitio sensûs accommodati 163
Divisio „ „ 164
Usus „ „ 164
An etiam ipsi auctores sacri verba Scripturae in sensum accommodatum usurparunt? 166

§. 2.

DE REGULIS ET SUBSIDIIS INTERPRETANDI SCRIPTURAS.

Regulae et subsidia distinguuntur rationalia, et dogmatica . 172
Protestantium et Rationalistarum interpretatio principio tenus manca declaratur, et praecipua eorum systemata interpretationis recensentur, et generatim refelluntur 173
Interpretatio alia est doctrinalis, alia authentica 174

I.

DE REGULIS INTERPRETANDI SCRIPTURAM DOGMATICIS.

Ecclesiae consensus est suprema regula interpretationis, Tridentino decreto *de usu s. libror.* sancita 175
Acta Concilii Vaticani circa relatum Synodi Tridentinae decretum. 175
Occasio, scopus et indoles istius decreti 176
Quatuor decreti illius pravae expositiones, et genuini sensus declaratio 177
Regula interpretandi Scripturam princeps: *sensus Ecclesiae* . 180
Notanda pro regulae istius intelligentia, et usu 181
Exempla 181
Regula secunda: *consensus Patrum* 187

PAG.

Requisita ut quis veniat nomine *Patrum*, item *Doctorum* Ecclesiae 188

Fundamentum distinctionis Patrum in doctores *privatos*, et *authenticos* 188

Qualis intelligendus eorum consensus *unanimis*, et quandonam *generatim*, item *speciatim* adesse dicendus est 188

Signa quibus dignosces utrum ut doctores Ecclesiae, an tamquam doctores privati locum Scripturae exponant . . . 190

Solutio quaestionis: An et quale Patrum auctoritas praebet argumentum in interpretandis Scripturis 190

Probatur: Patres si consensu moraliter universali, et definita sententia locum aliquem Scripturae exponunt, revera praebere argumentum a). *infallibile* 191

b). *theologice* certum, si ita certa quidem sententia locum aliquem interpretentur, quin tamen satis appareat, utrum illum loci sensum proponant tamquam doctrinam fidei . . 192

Si autem eorum consensus deest, varia etiam est eorum auctoritas, imo quandoque nulla 192

Consideranda pro recto regulae usu 193

Regula tertia: *Analogia fidei catholicae* 196

Declaratio dictionis istius 197

Vis, quae huic regulae inest, imprimis *negativa* 197

An, et quae *positiva*? 198

Ex inspiratione Scripturarum profluunt duae regulae interpretationis generales, item speciales, quae singulatim declarantur. 201

Non facile damnes eruditionis profanae systemata 203

Refelluntur calumniae Protestantium et Rationalistarum, regulis dogmaticis impediri 1°. interpretum libertatem; 2°. studium ipsius Scripturae, vel certe 3°. scientificam illius investigationem, et progressum hermeneutices 204

Retorquentur quae objiciunt 206

II.

DE REGULIS INTERPRETANDI RATIONALIBUS.

Duae istiusmodi regulae proferuntur 209

Particulatim declaratur regula „*Vox omnis et locutio accipienda est proprie, nisi necessitas aliqua cogat eam improprie ac-*

PAG.

cipere" 209

Minus opportune aliqui regulam ita statuunt: *Omnis s. Scripturae propositio accipienda est in sensu litterali* PROPRIO, QUOTIESCUMQUE *hic non repugnat cum aliis propositionibus ejusdem Scripturae aeque aut magis certis, aut cum definitione Summi Pontificis, aut cum propositione naturali lumine certa et evidenti* 211

III.

DE PRAECIPUIS SUBSIDIIS INTERPRETATIONIS.

Subsidia *rationalia*, seu, *naturalia* in tres classes referuntur sc. alia ad ipsam orationem, alia ad scriptores, alia ad methodum legendi Scripturas 213

1°. Ad ipsam *orationem* pertinent *usus loquendi* Scripturarum. 214

Cognitio argumenti, consideratio *contextûs*, locorum *parallelorum* 215

Cognitio *archeologiae biblicae*, — historiae profanae, *chronologiae* ac *geographiae* 216

2°. Juvat attendere *scriptoris* a). adjuncta historica, b). ad quos scripserit, c). qua occasione, d). quo scopo, e). et stylo . 216

3°. Methodus *legendi Scripturas* constituitur in triplici ordine, sc. a). *librorum*, secundum quem universim expedit ante vetus T. legere novum 216

b). *lectionis*, quae facienda est primum ad notitiam ipsorum librorum; dein repetenda ad pleniorem cognitionem, investigando maxime sensum litteralem 217

c). *commentariorum* 217

Notio *glossae ordinariae* et *interlinearis* 218

Subsidia *dogmatica*, seu, *supernaturalia* statuuntur, ac declarantur sex:

1°. *Fides vivida* 220

2°. *Vitae puritas* 220

3°. *Humilitas* 221

4°. *Recta intentio* 221

5°. *Spiritus laboris* 224

6°. *Spiritus orationis* 224

Subscriptio 226

IMPRIMATUR.

Haaren, 24 Maji 1886.

W. H. van Gennip,
Libr. Cens.

CORRIGENDA.

Pag. 10. linea 25. post „pertinent", *lege*, in priori casu proposuerunt et proponent, in altero (definierunt etc.).

Pag. 24. linea 31., item pag. 41. linea 7., et p. 57. linea 28. superfluit „sic dicti."

Pag. 41. linea 21., item p. 81. linea 29., et p. 206. linea 24. „pleno" liturâ corrige.

Pag. 56. linea 18. quisque ex sese in verbo „adimerunt" *i* in *e* convertet.

Pag. 65. linea 4. delendum *l. c.*

Pag. 66. linea 9. habetur: ab antiquo, *lege*, antiquitus.

Pag. 68. linea 1. et 2. euphoniae satisfacit legendo: quem nonnulli recentes parti etc.

Pag. 69. linea 11., mor*a*m, *lege*, mor*u*m, et linea 39. cl. Jos. Cornely, *lege*, Corluy.

Pag. 84. linea 16. „hebraeus et graecus", *lege*, hebraei et graeci.

Pag. 113. linea 23. superfluit „ac".

Pag. 115. linea 4. „legun*t*er" pro: legun*tur*.

Pag. 121. linea 21. „affixerunt" *lege*, affi*n*xerunt.

Pag. 129. linea 24. „ullum" *lege*, quemquam.

Quae reliqua sunt menda peritus lector benevole corrigat.